

NAZIONALE
14
31 H
29
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE



PAVLI ARESII

Derthonenſis Epiſcopi,

DE AQVÆ TRANSMVTATIONE IN SACRIFICIO MISSÆ,

HOC EST,

An in Sacrificio Miſſæ aqua miſta vino in ſua ſubſtantia permaneat, vel in quid aliud, ſi non maneat, conuertatur

DISPVTATIO.

Item ad eamdem APPENDIX.



ANTVERPIÆ

Apud MARTINVM NVTIVM

Anno M. DC. XXVIII.



ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO D. LVDOVICO LVDOVISIO

S. R. E. Cardinali Ampliſſimo, *&c.*



NFANTEM ex vtero matris vix eductum, telluri protinus admouere, mos fuit antiquis; quaſi eiulantem puerulum, almæ parentis gre-

mio commendatum solarentur, & hoc honoris testimonio, commune omnibus, ac perpetuum hospitium, tacitè venerarentur. Hucque, opinor, alludens Salomon, *Et ego*, inquit, *natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram.* Sed longè feliciùs filius ille mulieris, quam signum magnum admiratus est in Apocalypsi S. Ioannes, vt à sæuientis draconis immanitate tutus esset, super astra ad thronum Dei translatus est. Ego autem, dum partum hunc meum in auras emergentem, & vagientē potiùs, quàm loquentem tibi Illustrissimo Domino meo commendatum atque dicatum ambio, & vetus illud institutum imitari, & huius paruuli felicitatem quodammodo æmulari mihi videor. In te enim, & com-

mu-

munis cuiusdam parentis erga studiosorũ partus affectum inesse, vbique volans fama testatur, & quandam veluti cælestem præstantiam, ob eam, qua præditus es, dignitatem, sapientiam & auctoritatem, nemo non suspicit. Vt hunc igitur humillimi clientis tui paruulum libellum intra tuum benignè sinum excipias, eumque à virulento inuidorum dente, edacisque temporis ingluuie tua benignitate atque auctoritate tuearis, etiam atque etiam rogo. Si enim Amplitudinis tuæ, cæterorumque Ecclesiæ Procerum serenis luminibus hic meus conspicietur partus, lætiores fortasse multò atque augustiores prodibunt alij. Ego autem pro tua atque patrui tui Sanctissimi Domini nostri GREGORII XV. incolumita-

te, proque omnium vestrorum votorum felici exitu Deum Optimum Maximum precibus fatigare non desinam. Vale.

Amplitudinis tuæ Illustrissimæ
& Reuerendissimæ

seruus humillimus

Paulus Episcopus Derthonensis.

Bene-

PLurima laude dignos esse, qui magna volumina, & ingentes libros edentes, innumeras quæstiones agitant, & rerum tum multitudine, tum varietate lectores detinent, delectant & iuuant, nulli meritò dubium esse potest: sed neque contemnendos esse, qui paruula opuscula, vnicam tantùm quæstionem, sed accuratè, omnibus in id intentis viribus pertractatam complectentia exarant, æqui non denegabunt iudices. Vt enim in illis copia, ita in his studium ac diligentia allicit. In illis ad plura se oculus mentis extendit; in his attentiùs vnam in rem intendit. In illis mensa plurimis dapibus referta; in his ferculum vnum, sed magno sumptu, & exquisito artificio condîtum apponitur. In illis veluti prælium quoddam atrox cernitur, in quo tum pedites, tum equites diuerso armorum genere inter se dimicant; in his singulare certamē, vel vnius arcis valida oppugnatio, & obstinata propugnatio spectanda proponitur: Ex illis denique plurium cognitio; ex his vnius, sed plenior & vberior scientia

hauritur. Et ſanè quaſdam inſignes quæſtiones non gregatim cum alijs tantùm, ſed ſeorſum, & integro illis addicto volumine examinari; vt quid tandem, omnibus circumſpectis & perpenſis, de illis ſtatui poſſit, perfectiùs cognoſcatur; reipubl. litterariæ intereſſe videtur.

Inter has autem, hanc, quam præ manibus habemus, & neceſſitate, & dignitate, quæ voluptate atque vtilitate non careant, id ſibi poſtulare, nemo qui eam introſpexerit, denegabit.

Neceſſitate, quoniam è veteribus Theologis, qui eam attigerit, nedum abſoluerit, vix quemquam reperias. Ex recentioribus verò, quidam in ſententiam, quam, vt communem ab aliis traditam repererunt, vlteriùs non inquirentes, vt quondam pedarij Senatores, abierunt. Nonnulli verò magnæ doctrinæ & auctoritatis viri à veritatis ſcopo (Nam & quãdoque bonus dormitat Homerus) vt mea fert opinio, aberrarunt. Alij denique non pro dignitate ac difficultate rei eam pertractaſſe videntur. Vt quiſpiam igitur, conquiſitis vndique auxiliis, ex ſacra Scriptura, ex Conciliis, ex Patribus, & ex omnibus

nibus alijs theologicis locis, omnibus numeris quęstionem hanc absoluere & enucleare satageret, necessarium fuit. quod ego quidem facere conatus sum, an perfecerim, aliorum erit iudicium.

Sed eius quoque dignitas id postulabat. quid enim nobilius, quid præstantius augustissimo Eucharistiæ Sacramento? quid dignius, quàm de eo verba facere, quod nobis, tamquam amoris firmissimum pignus, nostri amantissimus sponsus ad Patrem accedens, neque nos deserens reliquit? Sed plura sunt, dices, in hoc Sacramento, quæ captum nostrum nimis excedunt, ac proinde pia potiùs fide, & verecundo silentio veneranda, quàm curiosa disputatione inuestigāda sunt. Esto; at non huiusmodi est quæstio nostra; quæ cùm hinc ex Patrum testimoniis, Conciliorum auctoritate, & Ecclesiæ ritibus; illinc verò ex lepidissima philosophica disquisitione pendeat, fit, vt neque tantis obruatur difficultatibus, quin commodè explicari queat, & lectori non paruam voluptatem allatura sit.

Vtilitatem verò quis non videat? cùm enim quotidie Sacrum faciamus, multaque

que in eo eueniant, quæ huius quæstionis determinatione indigent, vtilissimum profectò erit, in hac enodanda omnes neruos intendere, ne ex ipsius ignoratione, vel indignè tantum mysterium tractetur, vel superuacuis conscientiæ nodis & offendiculis, siue, vt aiunt, scrupulis implicemur. Quod reliquum est, te rogatum volo, prudens lector, vt qui huic disputationi tamquam arbiter præsides, æquum te mihi præbeas; atque à ferenda sententia tantisper abstineas, dum omni ex parte causam cognoscas. Imò si fortè aliter sentias, meque videas firmioribus niti argumentis, & grauioribus muniri testimonijs, mihi, vel potiùs veritati, cedere ne recuses: memor illius numquam satis laudatæ Aristotelis sententiæ, quam cap. 6. libr. 1. Ethic. protulit: *Rectius esse, & oportere, vt pro veritatis salute vnusquisque, & præsertim Philosophi, sua quoque refutent; alioqui veritatē ipsam, vt contra quosdam ait S. Paulus ad Rom. primo, in iniustitia detinere videberis, ex illisque esse, qui quamcumque opinionē ab initio mente conceperint, obstinatè retinent. Imò si quid illis in quotidiano*

ser-

ſermone temerè exciderit, id, quo iure, quaúe iniuria, aduerſus omnem humani ingenij rationem pertinaciter tuentur, dumq̃ue ab errorum vndis emergere ſtultiſſimè erubeſcunt, in ijſdem ſemper fluctuare non pudet: cùm hoc turpiſſimum ſit, illud non ſolùm laudabile, ſed etiam glorioſum. Quid enim glorioſius, inquit S. Auguſtinus in pſal. 57. quàm ſubijci, & vinci à veritate? Ego certè, ſi vel à S.R.E. hæc aut quæuis alia mea ſententia falſitatis condemnaretur, vel docti viri erroris me arguerent, ſine mora palinodiam me cantaturum profiteor. Vale.

Admo-

Admodum Reuer. P. Domini Marcellini Santagatij Genuensis, Clericorum Regularium Theologi

Hydroprosopopœia.

O *Mihi semper leuis aura fautrix*
Dulce seu flando mea terga comis,
Siue cælesti officiosa circum
Lumine comples,
Huc ades, nostras cupidámque laudes
Nunc iuua sæclis reserare summas
Mille queis numen decorauit, ac me
Ditat ab æuo.
Terret an moles, numerusue? saltem
Pauca de multis, rogo, concinuntor:
Dic meis primùm simul vt creata
Incubet vndis.
Dic, vt ex vdis finibus cateruas
Piscium formet, volucrúmque turmas,
Dic rubescentes genitas profundo
Gurgite gemmas.
Dic bene hærentes scopulis, & imis
Concha quos mater parit vniones:
Dic inexpletas vehat vt repandas
Vnda carinas.

Vt

Vt sitim sedem, sine méque ut ægris
Feruidis nullam ferat ars medelam,
Fercla nec constent, vola nec subuclas
Sedula mundet.

Hæc sed est laudum quota pars mearum?
Magna. Sed magnis propè nil videri
Iam queant, his si data diua tandem
Dona ferantur.

Me fores cæli reserantur, vnda
Crimen antiqui mea dum parentis
Tergit humanis animis, Deóque
Iungit amicos.

Quid loquor? dicam? sileamne? quidnam
Maius est rerum genitore? Iam nunc
Quid datum lymphis super hic libellus
Comprobet, audi.

In Deum vertor, simul ac Sacerdos
Verba deprompsit, quibus in cruorem
Vina transmutat, pare iuncta vino
Sorte fruendo.

In Deum vertor, comes incruentus
Est suo CHRISTVS *siquidem cruori,*
Semper & Christus Deus. hoc quid, oro,
Maius in orbe?

Præsul

Præsul id libro docet almus isto
Affatim Paulus, pia vota cuius
E nigris verum ruat vt tenebris,
Crede, fuerunt.

Præsul Insubrum noua lux, recénsque
Gemma Dertona, Pater atque Princeps,
Scriba, quem noster redamantem amanti
Corde salutat.



Admo-

Admodum Reuerendi Clementis Catanei Sacræ Theol. & Pontif. Iur. Doct. necnon Derthonensis Ecclesiæ Decani

Ad Auctorem Epigramma.

Remigium alarum, Iouis Ales, stemmate pendent:
Mellifluo & cantu diceris ALESIVS.
Præpetibus pennis summos discurrere montes
Fas fuit: en magni Præsulis arte nites.
Nunc aquilæ ductu cælum stridentibus Alis
Findentem, metam stringere fata sinunt.
Ausus nemo fuit rapidum quò tendere cursum,
En noua progenies labitur Ostrifera.
Ostriferum rapiet LVDOVISIA *purpura fœtum:*
Ostriferum PAVLVM *sic quoque Roma canet.*



Ad

Ad librum Reuerendissimi Præsulis ARESII Episcopi Derthonensis sub auspicio Illustrissimi S. R. E. Cardinalis LVDOVISII prodeuntem, Admodum Reuer. Iacobi Philippi Opicelli eiusdem Ecclesiæ Cathedralis Theologi.

PRæsulis Aresii liber es; te protegit vmbra
Mitræ: quid poterit Momus & inuidia?
Iámque, vt maiori fouearis numine, Patris
Ostro conspicui quæris adire sinum,
Inq; Ludouisij *festinas brachia; tectum*
Ergo etiam à Patruo, *te facit esse* Nepos.
Si te mitra tegit, si purpura, summa tiara,
Nì fortasse ruant astra, perennis eris.



Admo-

Admodum Reuer. P.D. Petri Campanæ Clericor. Regular. Theologi, ad Lectorem.

IN Christi sacrum miraris abire cruorem
Lympham? per terras cùm fluat, astra petat?
Miror, quin valeat lympham absorbere Lyæus,
Namque potens vinum est, gutta quid vna? nihil.
Miremur neuter. neutrum miratur Aresus:
Cum quo vina nihil, cuncta sed ipse Deus.

Admodum Reuer. Ioannis Petri Zanoni I.V.D. Epigramma.

DVcta inter solis radios per fontis hiatus
Vnda fluens arcum picta colore facit:
Versicolórque nitet cælo Thaumantia proles,
Atque aliud, mirum, suscipit esse liquor.
Sacra latex pariter, profert dum verba sacerdos,
Fit Christi eximius sanguis, & vnda perit.
Ars illa ingenij cunctis est cognita sæclis:
Detegit hoc tandem noster Hieron opus.

APPROBATIO.

EGo Desiderius Cornalba C.R. Congregationis Somaschæ, & Præpositus Collegij Sanctę Mariæ Paruæ, de mandato Admodum Reuer. Patris Fr. Iacobi Figini Generalis Inquisitoris Ciuitatis & Diœcesis Derthonæ, hunc Reuerendissimi D. D. Aresij eruditissimique præfatæ Ciuitatis Episcopi librum, cui titulus est, De aquæ transmutatione in sacrificio Missæ, diligenter lectum typis dignum existimo, cùm in eo nihil fidei Cathol. contrarium animaduertatur, & suscepto argumento à tanto Auctore quàm cumulatissimè satisfactum fuisse videatur.

Stante supradicta attestatione Imprimatur.

Ego Fr. Iacobus Figinus Inquisitor.

Ant. Caluinus Archid. Vicar. Gen.

Vidit Saccus pro Excell. Senatu.

ALIA

ALIA.

VIdi hunc tractatum, quem maximè doctrinæ ſanctorum Patrum, & præcipuè Angelici Doctoris, conformem eſſe iudico. Mediolani, 19. Maij, anno 1622.

Ita eſt.

Fr. de la Plana, Magiſt. & Prouincialis Occitaniæ.

ALIA.

EGregia Reuer.mi & doctiſſimi Epiſcopi Derthonenſis diſputatio De tranſmutatione aquæ in ſanguinem Chriſti in auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio, egregiaque ad illam Appendix, probabiliſſimam ſententiam doctè, validè, & dilucidè munit, & propugnatorum aduerſantis ſententiæ argumenta refellit.

Andreas Victorellus.

ALIA.

MAxima cum diligentia & attentione huiusmodi tractatum perlegi, & sum in opinione auctorem attigisse in hoc puncto sinceram veritatẽ, esseque doctrinæ Sanctorum, & præcipuè Diui Thomæ conformem censeo. Mediolani. 23. Maij, anno 1622.

Fr. Narcissus Ribes Prouincialis Aragoniæ.

ALIA.

DIsputationem hanc De aquæ transmutatione in Sacrificio Missæ pridem excussam, cum Appendice recenter adiuncta, eruditam ac dignam censeo, quæ ad exercitium Theologorum exeat in lucem. die nona Decembr. anno 1627.

P. Coens S.T.L Canon. & libr. Censor Antuerp.

SE-



SECTIONVM TOTIVS DISPVTATIONIS

Index & Epitome.

SECTIO I.

Multorum siue errores, siue sententiæ omnino improbabiles referuntur, & reyciuntur.

PRIMO loco error Aquariorum refertur, qui aquam solam in calice offerebant, inter quos Summi Romani Pontifices à Magdeburgensibus impudenter & falsò recensentur. Fundamẽtum fuit falsa sobrietatis species. Rationes, cur non in aqua tantùm fuerit hoc

Sacramentum institutum, tres afferuntur. Vndecim deinde aliorum errores breuissimè refellũtur; postea prima Catholicorum improbabilis opinio affertur, eorum scilicet, qui dicebant verti aquam in humorẽ phlegmaticum corporis Christi, quæ & Innocentij & Euangelij auctoritate, & formæ Sacramẽti significatione confutatur.

Secunda opinio, etiam improbabilis, est eorum, qui dicunt eamdem aquam verti in eam aquam, quæ ex latere Christi exiuit; quæ ijsdem ferè telis impetitur.

Tertia opinio est, aquam virtute Sacramenti in nihilum redigi: quæ reijcitur, eò quòd magnum miraculum sine necessitate confingat, & sit contra sensum, contra naturam corruptionis, & verborum formæ.

Quarta opinio est Gulielmi Estij, aquam partim in vinum conuerti, & partim simul cum sanguine permanere; quæ, vt Patribus, & omnibus Theologis, & Philosophię repugnans, reijcitur, & sine ea, optimè repręsentationẽ my-

ste-

ſteriorum vnionis populi Chriſtiani cum Domino, & ſanguinis & aquæ effuſionis ex latere Chriſti conſtare oſtenditur.

Quinta opinio eſt, aſſerentium, aquam ſimul cum ſanguine in propria ſubſtantia permanere, quę & Innocentij, & omnium Theologorum auctoritate reprobatur.

SECTIO II.

Sexta aliorum ſententia proponitur, & argumentis roboratur.

AFfirmat hæc ſententia, aquam in vinum conuerti, & eo mediante in ſanguinem; quòd ſi contingat tempore conſecrationis non eſſe in vinum conuerſam, ſimul cum ſanguine permanere: cuius ſectatores recentiores potiùs ſunt, quàm antiqui. Probatur autem ab ipſis, Primò, ex Concilijs dicentibus vinum tantùm eſſe materiam calicis Domini. Secundò, ex Pontificibus Iulio & Innocentio: illę affirmat præter vinum nil aliud offerri oportere, hic a-

quam transmutari in sanguinem, cùm priùs transeat in vinum; quibus additur Catechismus Romanus, tamquam asserens esse hanc sententiam omnium Ecclesiasticorum. Tertiò, ex Patribus, scilicet Cypriano, Chrysostomo, Augustino, & reliquis nusquam dicentibus, aquā esse materiam Eucharistiæ. Quartò, ex Theologis, S. Thoma & reliquis ferè omnibus, cum Hugone à S. Victore, Rabano, & Vitriaco Cardinale, suffragante PP. Dominicanorum ritu, qui aquam vino ante Missam miscent; & Græcorum, qui post consecrationem. Quintò, ratione, quia aqua admiscetur calici ex præcepto Ecclesiæ, quæ non habet auctoritatem instituendi materias Sacramentorū. Sextò, aqua non fit corpus Christi, nisi transeat in panē: ergo neque sanguis, nisi transeat in vinū. Septimò, esset aqua æquè necessaria & sufficiens Eucharistiæ materia, ac vinum. Octauò, posset esse quantitas aquæ maior, quàm vini in calice, & adhuc conuerti. Nonò, fieret etiam sanguis, si vini accidentibus tantùm affe-

cta

cta esset. Decimò, idem dicendum esset, si ex aqua & vino fieret vnum tertium mistum. Vndecimò, idem posset asseri de aqua rosacea vino admista. Duodecimò, remaneret sanguis Domini sub accidentibus aquæ, etiam corruptis vini speciebus. Decimotertiò, si species aquæ vini accidentia in se verterent, esset totus sanguis sub accidentibus aquæ tantùm. quod est absurdum. Decimoquartò, idem dicendum, si aqua post consecrationē separaretur à vino. Denique, posset etiam sacerdos intentionem suam dirigere ad aquam tantùm, & illam solam consecrare.

SECTIO III.

Septima sententia explicatur, & ex iis, quæ Christus Dominus sacratissimam Eucharistiam instituens gessit, comprobatur.

AQuam non esse quidem propriè materiam sanguinis, esse tamen commateriam, quatenus scilicet est mista, & incorporata vino, ac proinde semper verti in sanguinem, hæc senten-

tia affirmat; an autem ſemper immediatè, diſſident eius auctores, pendetque ex Philoſophia. quare quinta & ſexta ſententia ſuprà relatæ non videntur, quoad Theologiam, differre.

Pro fundamento huius ſententiæ ſtatuitur ante omnia, aliquando ſaltem, tempore quo conſecratur calix, non eſſe aquam in vinum conuerſam; tum quia probabiliſſimum eſt, non habere vinum vim aquam in ſe vertendi: tum quia ſaltem aliquando, vel ratione modici temporis, vel magnæ quantitatis aquæ, vel tenuitatis vini, id fateri neceſſe eſt. In hoc igitur euentu ſaltem, verti immediatè in ſanguinem, ex eo probatur, quòd probabiliſſimum ſit, Chriſtũ Dominum, dum hoc Sacramentum inſtituit, aquam immediatè in ſuum ſanguinem tranſubſtantiaſſe. Quod vt oſtendatur, tria demonſtranda proponuntur. Primum eſt, Chriſtum aquam calici conſecrando appoſuiſſe: quod ex antiquiſſima traditione in ſacro Concilio Tridentino approbata, & omnium Theologorũ conſenſu recepta, vt certum

tum habetur, quamuis in Euangelio nulla aquæ mentio fiat; non enim omnia tradiderunt Euangeliſtæ. Secundũ, quod probandum erat, eſt, immediatè ante verba conſecrationis Chriſti, non fuiſſe aquam in vinum conuerſam. Probatur autem, quia hæc conuerſio, vel ſupernaturaliter contigiſſet, vel naturaliter. non ſupernaturaliter, quia non eſt hoc miraculum cõfingendi vlla neceſſitas, vllum fundamentum: non naturaliter, quia vinum non tanta vi pollet, vt aquam in ſe vertere poſſit. Sed eſto, aliàs polleret; tunc non potuiſſe, probatur. Primò, defectu temporis, quod breuiſſimum interfuit inter aquę appoſitionem, & conſecrationem, vt ex multis Liturgiis colligitur. Nec obſtat D. Bonauenturam contrarium aſſerere: intelligendus eſt enim de conuerſione quadam morali. neque quòd Eccleſia hunc morem non imitetur, cuius ratio redditur. Non potuiſſe autem vinum aquam illico in ſe conuertere, Probatur, quia minori vi ad conuertendam aquam præditũ eſſe vinum

oſten-

oſtenditur, quàm vitis, quæ tamen, vt terræ humorem in vinum tranſmutet, anno ſaltem indiget. Confirmatur, quia probabile eſt, Dominum non in tam parua quantitate, vt nos ſolemus, aquã miſcuiſſe, vt D. Thomas & alij docent, fruſtra P. FranciſcoSuarez reclamante; curque à nobis aqua modiciſſima apponatur, rationes redduntur. Tandem neque certum eſſe, vinum calicis Domini admodum generoſum fuiſſe oſtẽditur. Tertium demonſtrandum erat, aquam, ſi tunc fuit in calice, à Chriſto Domino in ſuum ſanguinem tranſmutatam fuiſſe, quod ex eius verbis efficaciter demonſtratur; ſimileque argumẽtum Patres Concilij Tridentini confeciſſe oſtenditur. Concluditurq; cùm certum ab incerto non pendeat, certumque ſit totum, quod erat in calice, in ſuum ſanguinem fuiſſe à Domino tranſmutatum, incertum verò, vt minimum, aquã fuiſſe antea in vinum conuerſam; eiuſdem aquæ conuerſionẽ in ſanguinẽ ex conuerſione in vinum non pendere, in noſtris etiãMiſſę ſacrificiis.

SECTIO

SECTIO IV.

Conciliorum, Canonum, & Summorum Pontificum auctoritate eadem sententia probatur.

PEr ſcientiæ clauem aperire nobis Sacramentorum materias Eccleſiam; idq́ue præſtitiſſe in Concilio Florentino, quod de materia calicis loquens, etiam aquæ meminit, demonſtratur. Non meminiſſe autem tamquam cęrimoniæ, ex Concilij contextu, & intentione, ex modo loquendi aliorum conciliorum, ex Catechiſmo Romano, ex rationibus à Pontifice adductis, & ex ritu Eccleſiæ, quæ preſbyterum ordinans calicem cum vino & aqua ei porrigit, & auctoritate Gregorij Hieromonachi oſtenditur. Cur aqua modiciſſima ſit apponenda, reiectâ, quam excogitarunt Aduerſarij, quinque aliæ veræ rationes afferuntur; argumentumq́ue Aduerſariorum ex illis verbis Concilij (vini de vite) contra ipſos retorquetur, non eſſet enim de vite vinum, ſi de aqua genitum eſſet.

Con-

Concilium quoque Tridentinum apertè nobis fauere, dum nullam ſubſtātiam innuit in calice poſt conſecrationem permanere, præter ſanguinem Chriſti, declaratur. Nam, data Aduerſariorum ſententia, non aquæ ſubſtantiam tantùm, ſed etiam ipſius vini poſt conſecrationem aliquando remanſuram oſtenditur. Concilijs duo Summi Pontifices connectuntur, Iulius Primus, & Innocentius III. ille aquam cum vino offerendam ijs verbis docet, ex quibus eum approbare noſtram ſententiam colligitur, & quæ nobis ex eodem obijciuntur, fauere potiùs, quàm officere ſit perſpicuum. Innocentij autem verba ab Aduerſarijs contra eius mentem explicari, multorum tum Iuris Canonici peritorum, tum Theologorum auctoritate, ipſiuſque Innocentij teſtimonio freti contendimus. Multos quoque canones, quos breuitatis cauſa indicaſſe tantùm placuit, nobis ſuffragari docemus.

SECTIO

SECTIO V.

Patrum testimoniis eadem sententia roboratur.

PAtrum consensum non posse sine temeritatis nota, aut hæresis periculo contemni; consensisse autem eos in nostram sententiam, ex eo probatur, quòd plurimi eam docuerunt, nullus autem contrariam. Vt eam docuisse ostendamus, testimonia proferũtur, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Procli, Gregorij Magni, Hieronymi, Cypriani, Ioannis Damasceni, Iustini Martyris, Irenęi, Theodoreti, Nicolai Methonensis, Gennadij, Ieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani, Amalarij, Paschasij, Samonæ Gazæ Archiepiscopi, Hildeberti Cenomanensis, Algeri, Hildegardis, Honorij Augustodunensis, Petri Blesensis, Germani Patriarchæ Constantinopolitani, Odonis Cameracensis Episcopi, & Eucherij Lugdunensis Episcopi. Porrò ex Patribus neminem contrarium sensisse, Aduersariorum testimonio, & Gaufredi auctoritate, cuius

epi-

epiſtola hanc controuerſiam egregiè explicans affertur, comprobatur: præclarumque Cardinalis Baronij pro noſtra ſententia teſtimonium recitatur; inſigni denique miraculo, ab eodem Cardinali relato, eadem noſtra ſententia perarmatur.

SECTIO VI.

Aduerſariorum reſponſiones ad ſupradicta teſtimonia Patrum referuntur & refelluntur.

NE Patrum teſtimonia deprauentur (quod alicui ſententię pertinaciter adhærẽtes facere ſolent) duæ ſunt prænotandæ regulæ. Prior eſt, accipienda eſſe verba Patrum in ſenſu proprio, & ex verborum ſignificatione per ſe conſurgente, dum vel alij Patres, vel vrgens ratio contrarium non ſuadeat. Poſterior, Patres obſcurè loquentes, per eos qui clarè locuti ſunt, exponi debere. Ex illa colligimus Patres nobiſcum ſentire, quia Aduerſarij fatentur ſe PP. dicta explicare, nos autem, nullâ adhibitâ explicatione, ea recipimus. Ex altera, cùm

cùm aliqui clarè tradant, aquam immediatè in sanguinem verti, eodem modo intelligendos cæteros comprobamus. Affertur deinde Aduersariorum explicatio de conuersione mediata, & multis argumentis & auctoritatibus, etiam Iurisperitorum, falsitatis conuincitur. Exploditur quoque illa mistionis acceptio, qua, quod conuertitur in aliud, dicitur illi misceri, & tamquam insufficiens & violenta illorum expositio reijcitur, qui vinum aqua mistum, id est, vinum cui admista est aqua, sed non aquam ipsam, in sanguinem conuerti asserunt. Deniq; Cardinalis Baronij doctrina & auctoritas ab Aduersariorum calumnijs vindicatur, miraculumq; pro nostra sententia ab eo allatum contra eorumdem tela præmunitur.

SECTIO VII.

Ex S. Thomæ, & aliorum Scholasticorum doctrina eadem sententia confirmatur.

EX S. Thoma, cuius auctoritas plurimi est facienda, duo loca afferuntur.

Prior eſt,vbi de aqua, quæ calici apponitur,loquens,inquit, eam non permanere,quia totum, quod eſt ibi, veneratur Eccleſia adoratione latriæ, conuerti autem in vinum, & deinde in ſanguinem. Ex quo duas Concluſiones deducimus:altera eſt,aquam numquam poſſe permanere in calice poſt conſecrationem, & conſequenter, etiamſi non ſit conuerſa in vinum, conuerti in ſanguinem:alioqui enim vana eſſet S. Thomæ ratio,quam pro nobis pugnare cogitur fateri Suarez, qui eam diſſoluere conatur, ſed fruſtra. Altera concluſio eſt, aquam conuerti in vinum moraliter, quam tenetur admittere qui hanc quæſtionem non imperfectè traditam à S. Thoma defendere optat. Poſterior locus eſt, vbi loquens de pane, ait parum hordei multo tritico admiſtum, eſſe cum eo materiam aptam conſecrationi, quia modicum abſumitur quodammodo à plurimo. Ex quo etiã duæ concluſiones eliciuntur: prior eſt, hordeum conuerti in triticum moraliter tantùm, & hoc ſufficere, vt ſit materia

con-

corporis Domini. Posterior, idem dicendum de aqua respectu vini & sanguinis. Vtraque autem & ad mentem D. Thomæ, & secundùm veritatem etiam ex Aduersariorum dictis firmissimè comprobatur. Afferuntur deinde pro nostra sententia testimonia Magistri Sentétiarum, Alensis, Scoti, Altisiodorensis, S. Bonauenturæ, Ioan. Gerson, Gulielmi Durandi, Petri à Soto, Iansenij, Salmeronis, Alfonsi à Castro, Alani, Toleti, Pesantij, Bellarmini, Didaci Tapiæ, Ioan. Baptistæ Scortiæ, Ægidij de Coninck, & PP. Societatis IESV Collegij Romani.

SECTIO VIII.

Rationibus theologicis idem probatur.

SEx rationes præcipuæ, præter eas quas suprà attigimus, pro nostra sententia afferuntur, reiectisque Aduersariorum responsionibus, constabiliuntur. Prima est, Sacramenta id efficiunt, quod significant; sed verba consecrationis significant, totum id, quod est in

*** 2 cali-

calice, esse sanguinem Christi; ergo non solùm vinum, sed etiam aqua, quæ tunc in calice reperitur, fit sanguis Christi.

Secunda est. Ecclesia vitat, tamquam sacrilegum, proferre formam Eucharistiæ super materiam dubiam, & multò magis super ineptam: atqui, si aqua non verteretur immediatè in sanguinem, esset materia inepta; consequenter Ecclesia semper proferret formam calicis supra materiam incertam, quia numquam est certa, aquam esse conuersam in vinum, & aliquando super ineptam, quia certum est, vt Aduersarij fatentur, aliquando non esse conuersam.

Tertia. Materia Sacramentorum debet esse sensibiliter determinata: atqui si vinum tantùm esset materia, numquã esset sensibiliter determinatum, quia non potest sensibiliter distingui ab aqua admixta: ergo totum mixtum ex aqua & vino est materia sanguinis.

Quarta. Quia ex opinione Aduersariorum sequeretur, non esse nos certos, statim post consecrationem sub qualibet particula specierum vini adesse sanguinem

guinem Christi: quod est incōueniens.

Quinta. Post exhaustũ calicem consecratum censetur sacerdos ab Ecclesia ieiunus: atqui si aqua in propria substantia simul cum sanguine in calice permanet, contrarium esset asserendum; ergo.

Sexta. Quoniam in determinandis materiis Sacramentorum Ecclesia magis quàm physicas subtilitates respicit communem sensum & vsum hominũ, iuxta quem non minùs censetur vinum dilutum illud in quod esset iam cōuersa aqua admista, quàm illud in quod eadem quantitas aquæ nondum fuisset conuersa; ergo sicuti totum illud est materia sanguinis, ita etiam hoc.

SECTIO IX.

Ex Aduersariorum verbis eadem sententia colligitur.

SVammet sententiam impugnare nostros Aduersarios, dum illam, quæ asserit, aquæ substantiam in calice post consecrationem permanere, reijciunt,

tum ex negationis natura, tum ex paritate rationis euincitur. Nonnullos autem, qui hunc nodum dissoluere conantur, non satis sibi constare, nec probabiliter loqui, demonstratur; nec denique eorum responsioné, ab illa, quam nonnulli Theologi, ab ipsis meritò, quasi Panistis hæreticis fauentes, reiecti, excogitarunt, esse vllo pacto diuersam. His adduntur Henricus Henriq. Paludanum, Sotum, Ledesinam, & Tabienam secum trahens, & Gabriel Vasquez Patrum testimonia exponens, qui pro nobis nolentes pugnant.

SECTIO X.

Aduersariorum suppositum, quòd aqua in vinum conuertatur, non solùm necessariũ non esse, sed etiam falsum, theologicis rationibus ostenditur.

VERAM Philosophiam Theologiæ numquam esse contrariam, imò illi adiumento esse, & inuicem ab ipsa adiuuari, declaratur. Aquam autem in vinum verti, ex Theologiæ principijs non

non posse colligi; cùm ex Missalis rubricâ constet, non esse de hoc sollicitam Ecclesiam, contrarium autem illi magis esse consonum, multis ostenditur. Primò, quia aquæ significatio est sacramentalis; ergo debet esse præsens, dum conficitur Sacramentum: tam antecedens autem, quàm consequentia pluribus & auctoritatibus, & rationibus confirmantur, ab eaque Aduersariorum iacula propulsantur. Secundò, quia, sicut aqua in sua substantia simul cum vino Deo offertur; ita in eadem sua substantia consecrari debet. Tertiò, quoniam alioqui sequeretur, aquam verè & per se sacrificari Deo, cùm & ei offeratur, & seorsum à vino desinat esse: quod esse absurdum patefit. Quartò, ex eo, quòd maxima quæque Sacramenta in aquæ substantia dicantur ab Ecclesia fuisse condita; cuius dicti veritas aquam in vinum non verti, necessariò supponere videtur. Denique ex multis Sanctissimæ Eucharistiæ figuris ex aqua desumptis idem probabiliter asseritur.

SECTIO XI.

Argumentis ab auctoritate contra nostram sententiam satisfit.

TEstimonia contra nostram sententiam allata, plurimùm esse negatiua, ea videlicet; in quibus, cùm sermo de materia calicis habeatur, vini tantùm fit mentio. quod argumenti genus natura sua est imbecillimum, & hîc nullas omnino vires habere, eò quòd nomine vini etiam aqua admista comprehendatur, ex Euangelio, & alijs Sacræ Script. locis, ex Iulio Pontifice, Conciliisque Carthaginensi, Trullano, Florentino & Tridentino, ex Gaufredo, Aristotele, & Plutarcho, & ex ipsismet Aduersariorum verbis perspicuum redditur. Hinc sigillatim auctoritatibus contra nos allatis occurrimus, Concilijsq; Carthaginensi, Triburiensi, Trullano, Florentino & Tridentino satisfacimus. Catechismum non fideliter ab Aduersarijs adductum, & nobis non aduersari, sicuti & alios multos contra nos allatos, præsertim verò S. Cyprianum

num ostendimus. Morem quoque PP. Dominicanorum, qui ante Missam aquam cum vino in calice ponunt, sicuti & ipsos Ordinis Prædicatorij Doctores nobis potiùs, quàm Aduersarijs fauere: Græcos autem, siue antiquos, siue recentiores, illis non opitulati, contendimus.

SECTIO XII.

Argumenta contra nostram sententiam ex ratione deducta diluuntur.

DVm quinto loco argumentantur Aduersarij: Non ex præcepto Christi, sed Ecclesiæ tantùm, apponitur aqua calici; ergo, &c. Occurrimus & antecedens, vel falsum, vel valdè incertum esse, & consequentiam inefficacẽ. De antecedente, propositis vtrimque sententijs, concludimus, eam probabiliorem esse, quæ diuinum præceptum in aquæ appositione agnoscit, & cur nihilominus de Sacramenti necessitate non sit, exponimus. Consequentiam deinde non rectè ab Aduersariis deduci,

ei, nonnullis exemplis patefacimus.

Hinc ad sextum dicimus, perperam ab argumentantibus, aquam, quæ vino admiscetur, cum ea quæ farinæ, comparari, multasque inter eas differentias annotamus.

Ad septimum, falsò ex nostra sententia, quòd aqua sola à vino separata consecrari possit, deduci ostendimus, & quomodo ad calicis materiam aqua spectet, declaramus.

Ad octauum, dummodo aqua saporem vini retineat, etiamsi in quantitate ipsum vinum superet, esse posse calicis materiam ex Innocentio attestamur.

Ad nonum, in quo deducebatur ex nostra sententia, posse aquam solam vini accidentibus affectam consecrari, immeritò hoc inferri respondemus.

Decimum, inferens ex nostris dictis posse consecrari mustum, quod non sit vinum, in Aduersarios retorquetur, ex quorum sententia, non autem ex nostra, illud absurdum sequitur.

Ad vndecimum, de aqua rosacea admista, respondet Cardinalis Alanus,

&

& ipsam conuerti in sanguinem, contra quem nimis inuehitur Pater Suarez. A nobis illatio negatur, rationesq; discriminis afferuntur.

Ad duodecimum, si species vini corrumpantur, neque sub aquæ speciebus, illis commistis, permansurum Christi sanguinem asserimus.

Ad decimumtertium, non posse, iuxta nostram sententiam, ab aqua in se conuerti species vini, posse tamen ex Aduersariorum principiis, patefacimus; quare inconueniens, quod contra nos inferebatur, contra nostros Aduersarios retorquemus.

In responsione ad decimumquartum quæstio agitatur, an, si species aquæ à vino consecrato extraherentur, remaneret sub ipsis sanguis Christi, & problema esse statuitur: modusque vtramque partem defendendi traditur, & an aqua dicenda sit pars integrans, vel componens materiæ Sacramenti, subtiliter disquiritur.

Ad vltimum tandem dicimus, non posse sacerdotem intentionem suam

ad

ad aquam ſolam conſecrandam dirigere: quomodoque aqua dici poſſit materia per accidens Euchariſtiæ, explicamus.



DE

DE AQVÆ TRANSMVTATIONE IN SACRIFICIO MISSÆ;

Hoc est, An in Sacrificio Missæ aqua mista vino in sua substantia permaneat; vel, in quid aliud, si non maneat, conuertatur,

DISPVTATIO.



VM ex antiquissima Ecclesiæ Catholicæ consuetudine & præcepto, aqua vino consecrando in Missæ sacrificio apponatur, multi circa hunc ritum hæreticorum errores, nec pauca Theologorum placita exorta sunt. Illi enim, vt ab Ecclesiæ vnitate more suo discederent, in quælibet præcipitia se

hæresi 42. Marcionitis hæresi 47. Tatiano, & Encratitis, quibus etiam eumdem ascribit Theodoretus libro 1. Hæreticarum fabularum. Dicerem in eodem errore versatos fuisse Manichæos, eò quòd vinum abominarentur, testibus S. Augustino libr. 2. contra Faustum, & S. Leone Papa serm. 4. de Quadragesima; nisi scirem in alio longè peiori versatos, dequo infrà.

Non videtur autem hîc prætermittendum impudentissimum mendacium hæreticorum Magdeburgensium, qui (vt refert eruditissimus Cardinalis Bellarminus libr. 4. de Eucharistia cap. 10.) centuria 3. cap. 6. & 7. affirmant errorem istum de sola aqua in calice offerenda, ab Episcopis Romanis excogitatum fuisse, & à Cypriano refutatum in epist. ad Cornelium Romanum Pontificem. Quod sanè absque vllo fundamento ex sola mentiendi & calumniandi libidine Centuriatores asserunt. Nam epistola Cypriani non est ad Cornelium, vt ipsi mentiuntur; sed ad Cæcilium, nec in ea vlla fit mentio Episcoporum Romanorum; cùm etiam è contrario constet Pontifices Romanos ante Cyprianum, vt panis tantummodo, & vinum aqua mistum in sacrificio Missæ offerretur, mandasse, vt patet ex gestis Alexandri Papæ I. qui sub Adriano vixit, anno Domini 121. cùm Cyprianus sub Valeriano

leriano & Gallieno Imperatoribus martyrio coronatus sit, anno Domini 261.

Fundamentum autem supradicti erroris aliud esse non potuit, quàm (vt refert S. Thomas) falsa quædam sobrietatis species, cùm satis alioqui constet Christum Dominum, vinum in sui sanguinis consecratione adhibuisse, & hunc eumdem morem semper Ecclesiam tenacissimè custodiuisse. At dicet quis, Nónne satius fuisset in aqua hoc Sacramentum instituere, vt sobrietatem nobis commendaret? Nequaquam: congruum enim fuit institui in potu magis vsitato & communi, vt pro omnibus institutum esse ostenderetur. Secundò, vt aptius esset ad significandam animarum spiritualem refectionem, & alios eius mirabiles effectus, qui per aquam non ita commodè nobis repræsentari possent.

Tertiò, propter maiorem, quam habet vinum cum sanguine similitudinem. Sobrietas verò satis fuit à Christo, & verbis & exemplis aliàs nobis commendata, neque ab hoc Sacramento fuit exclusa; cùm etiam valdè modicum sit vinum, quod in sacrificio assumitur, & aqua etiam sit temperandum. De hoc igitur primo errore satis.

Secundus error fuit huic affinis cuiusdam Marci, à quo Marcosiani sunt eius sectatores appellati, qui in aqua etiã pauxillo tantũ albo

SECTIO XI.

Argumentis ab auctoritate contra nostram sententiam satisfit.

TEstimonia contra nostram sententiam allata, plurimùm esse negatiua, ea videlicet; in quibus, cùm sermo de materia calicis habeatur, vini tantùm fit mentio. quod argumenti genus natura sua est imbecillimum, & hîc nullas omnino vires habere, eò quòd nomine vini etiam aqua admista comprehendatur, ex Euangelio, & alijs Sacræ Script. locis, ex Iulio Pontifice, Conciliisque Carthaginensi, Trullano, Florentino & Tridentino, ex Gaufredo, Aristotele, & Plutarcho, & ex ipsismet Aduersariorum verbis perspicuum redditur. Hinc sigillatim auctoritatibus contra nos allatis occurrimus, Concilijsq; Carthaginensi, Triburiensi, Trullano, Florentino & Tridentino satisfacimus. Catechismum non fideliter ab Aduersarijs adductum, & nobis non aduersari, sicuti & alios multos contra nos allatos, præsertim verò S. Cypria-

num

num oſtendimus. Morem quoque PP. Dominicanorum, qui ante Miſſam aquam cum vino in calice ponunt, ſicuti & ipſos Ordinis Prædicatorij Doctores nobis potiùs, quàm Aduerſarijs fauere: Græcos autem, ſiue antiquos, ſiue recentiores, illis non opitulari, contendimus.

SECTIO XII.

Argumenta contra noſtram ſententiam ex ratione deducta diluuntur.

DVm quinto loco argumentantur Aduerſarij: Non ex præcepto Chriſti, ſed Eccleſiæ tantùm, apponitur aqua calici; ergo, &c. Occurrimus & antecedens, vel falſum, vel valdè incertum eſſe, & conſequentiam inefficacẽ. De antecedente, propoſitis vtrimque ſententijs, concludimus, eam probabiliorem eſſe, quæ diuinum præceptum in aquæ appoſitione agnoſcit, & cur nihilominus de Sacramenti neceſſitate non ſit, exponimus. Conſequentiam deinde non rectè ab Aduerſariis deduci,

ci, nonnullis exemplis patefacimus.

Hinc ad sextum dicimus, perperam ab argumentantibus, aquam, quæ vino admiſcetur, cum ea quæ farinæ, comparari, multaſque inter eas differentias annotamus.

Ad ſeptimum, falsò ex noſtra ſententia, quòd aqua ſola à vino ſeparata conſecrari poſſit, deduci oſtendimus, & quomodo ad calicis materiam aqua ſpectet, declaramus.

Ad octauum, dummodo aqua ſaporem vini retineat, etiamſi in quantitate ipſum vinum ſuperet, eſſe poſſe calicis materiam ex Innocentio atteſtamur.

Ad nonum, in quo deducebatur ex noſtra ſententia, poſſe aquam ſolam vini accidentibus affectam conſecrari, immeritò hoc inferri reſpondemus.

Decimum, inferens ex noſtris dictis poſſe conſecrari miſtum, quod non ſit vinum, in Aduerſarios retorquetur, ex quorum ſententia, non autem ex noſtra, illud abſurdum ſequitur.

Ad vndecimum, de aqua roſacea admiſta, reſpondet Cardinalis Alanus, &

& ipsam conuerti in sanguinem, contra quem nimis inuehitur Pater Suarez. A nobis illatio negatur, rationesq; discriminis afferuntur.

Ad duodecimum, si species vini corrumpantur, neque sub aquæ speciebus, illis commistis, permansurum Christi sanguinem asserimus.

Ad decimumtertium, non posse, iuxta nostram sententiam, ab aqua in se conuerti species vini, posse tamen ex Aduersariorum principiis, patefacimus; quare inconueniens, quod contra nos inferebatur, contra nostros Aduersarios retorquemus.

In responsione ad decimumquartum quæstio agitatur, an, si species aquæ à vino consecrato extraherentur, remaneret sub ipsis sanguis Christi, & problema esse statuitur: modusque vtramque partem defendendi traditur, & an aqua dicenda sit pars integrans, vel componens materiæ Sacramenti, subtiliter disquiritur.

Ad vltimum tandem dicimus, non posse sacerdotem intentionem suam

ad

ad aquam ſolam conſecrandam dirigere: quomodoque aqua dici poſſit materia per accidens Euchariſtiæ, explicamus.



DE

DE AQVÆ TRANSMVTATIONE IN SACRIFICIO MISSÆ;

Hoc est, An in Sacrificio Missæ aqua mista vino in sua substantia permaneat; vel, in quid aliud, si non maneat, conuertatur,

DISPVTATIO.



VM ex antiquissima Ecclesiæ Catholicæ consuetudine & præcepto, aqua vino consecrando in Missæ sacrificio apponatur, multi circa hunc ritum hæreticorum errores, nec pauca Theologorum placita exorta sunt. Illi enim, vt ab Ecclesiæ vnitate more suo discederent, in quælibet præcipitia se

conijcere veriti non ſunt. Hi verò ſolum vinum ſufficientem & indubitatam materiam calicis Domini eſſe pro certo habentes, vt quid ab Eccleſia, (quam errare non poſſe non ambigebant) aqua vino miſceretur, & quid de illa fieret; præcipuè cùm aliquando, ſaltem tempore conſecrationis calicis, in ſua ſubſtantia perſiſtere, & in vinum conuerſam non eſſe fateri neceſſe ſit, inquirentes, in varias abiere ſententias; cùm & in ſanguinem immediatè conuerti quibuſdam durum, & ſimul cum ſanguine aquam remanere permixtam abſurdum videretur. Quid igitur in hoc euentu de ea fiat, hàc diſputatione examinandum nobis proponimus. Sed præludij loco,

SECTIO I.

Multorum ſiue errores, ſiue ſententiæ omnino improbabiles referuntur, & reijciuntur.

AB erroribus circa materiam ſacri calicis verſantibus exordiemur, vt, quod ſupponimus, aquam ſcilicet, & vinum in ſacrificio Miſſæ

Missæ ritè offerri, pro certo & indubitato, errorum tenebris depulsis, ante omnia habeatur.

Primus ergo error quorumdam fuit hæreticorum, qui aquam solam in calice offerebant, vnde & Aquarij appellati sunt à D. August. lib. de Hæresibus cap. 64. & Hydroparastæ in Concilio Trullano can. 32. Referunt eumdem errorem Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 2. circa finem, & lib. 1. Stromatum, vbi eius auctores hæreticos appellat, eò quòd ab Ecclesiæ regula declinent; S. Isidorus lib. 4. Etymologiarum cap. 5. S. Thom. 3. p. quæst. 73. art. 1. & alij. In primis verò disputant contra eum S. Cyprianus epist. 63. & S. Ioan. Chrysostomus homil. 83. in Matth. illa verba exponens, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Vbi dicit Christum vino vsum fuisse post resurrectionem, vt eorum perniciosam hæresim destrueret qui aqua in mysterijs vtebantur. Et alia etiam addit, quibus visus est in alterum extremum declinare, & aquæ mixtionem omninò de medio tollere. Sed eam defendunt & explicant Patres Concilij Trullani can. 32. Quis autem fuerit huius hæresis auctor, & quo tempore cœperit, apud neminem inuenire se potuisse, inquit Alfonsus à Castro verbo *Eucharistia* hæresi 6. Sed quicumque fuerit auctor, plures eius sectatores à diuersis memorantur. S. Epiphanius hæresi 30. tribuit eum Ebionitis

hæreſi 42. Marcionitis hæreſi 47. Tatiano, & Encratitis, quibus etiam eumdem aſcribit Theodoretus libro 1. Hæreticarum fabularum. Dicerem in eodem errore verſatos fuiſſe Manichæos, eò quòd vinum abominarentur, teſtibus S. Auguſtino libr. 2. contra Fauſtum, & S. Leone Papa ſerm. 4. de Quadrageſima; niſi ſcirem in alio longè peiori verſatos, de quo infrà.

Non videtur autem hîc prætermittendum impudentiſſimum mendacium hæreticorum Magdeburgenſium, qui (vt refert eruditiſſimus Cardinalis Bellarminus libr. 4. de Euchariſtia cap. 10.) centuria 3. cap. 6. & 7. affirmant errorem iſtum de ſola aqua in calice offerenda, ab Epiſcopis Romanis excogitatum fuiſſe, & à Cypriano refutatum in epiſt. ad Cornelium Romanum Pontificem. Quod ſanè abſque vllo fundamento ex ſola mentiendi & calumniandi libidine Centuriatores aſſerunt. Nam epiſtola Cypriani non eſt ad Cornelium, vt ipſi mentiuntur; ſed ad Cæcilium, nec in ea vlla fit mentio Epiſcoporum Romanorum; cùm etiam è contrario conſtet Pontifices Romanos ante Cyprianum, vt panis tantummodo, & vinum aqua miſtum in ſacrificio Miſſæ offerretur, mandaſſe, vt patet ex geſtis Alexandri Papæ I. qui ſub Adriano vixit, anno Domini 121. cùm Cyprianus ſub Va-

leriano

leriano & Gallieno Imperatoribus martyrio coronatus sit, anno Domini 261.

Fundamentum autem supradicti erroris aliud esse non potuit, quàm (vt refert S. Thomas) falsa quædam sobrietatis species, cùm satis alioqui constet Christum Dominum, vinum in sui sanguinis consecratione adhibuisse, & hunc eumdem morem semper Ecclesiam tenacissimè custodiuisse. At dicet quis, Nónne satius fuisset in aqua hoc Sacramentum instituere, vt sobrietatem nobis commendaret? Nequaquam: congruum enim fuit institui in potu magis vsitato & communi, vt pro omnibus institutum esse ostenderetur. Secundò, vt aptius esset ad significandam animarum spiritualem refectionem, & alios eius mirabiles effectus, qui per aquam non ita commodè nobis repræsentari possent.

Tertiò, propter maiorem, quam habet vinum cum sanguine similitudinem. Sobrietas verò satis fuit à Christo, & verbis & exemplis aliàs nobis commendata, neque ab hoc Sacramento fuit exclusa; cùm etiam valdè modicum sit vinum, quod in sacrificio assumitur, & aqua etiam sit temperandum. De hoc igitur primo errore satis.

Secundus error fuit huic affinis cuiusdam Marci, à quo Marcosiani sunt eius sectatores appellati, qui in aqua etiã pauxillo tantũ albo

vino admixto conficiebant, sed eam priùs incantatione quadam rubram reddebant, vt eam redderent aptam materiam Eucharistiæ, vt colligere licet ex Irenæo lib. 1. aduersus hæreses cap. 9. & Epiphanio hæresi 34.

Tertius error in altero extremo versatur: asserunt enim eius sectatores solum vinum esse offerendum, minimeq; aqua miscendum. Hic error Græcis tribuitur ab Innocentio III. li. 4. de Officio Missæ cap. 32. à Guidone Carmelita, & ab alijs; ex Græcorũ tamen scriptis contrarium colligi inquit Cardinalis Bellarminus. quare credibile est, ait, Innocentium, & fortasse etiam Guidonem, per Græcos intellexisse quosuis Orientales, non autem eos qui propriè Græci dicuntur. Fuerunt autem hi Orientales Armeni, quibus hic error ascribitur à Patribus Concilij Trullani can 32. & ab eodem Guidone errore 24. Oriebatur autem apud eos hic error ab alio maiori, si vera refert Nicephorus lib. 18. cap. 53. scribit enim Armenos non miscere aquam vino, ne significare videantur vnionem duarum naturarum in Christo, quam ipsi non credunt. In Concilio tamen Florentino per suos Oratores orthodoxam fidem in decreto Eugenij illis explicatam amplexi sunt, & Ecclesiæ Catholicæ sinu excepti. Quare surgent in iudicio Armeni contra Lutheranos & Caluinistas, qui hæreses iam sæpiùs damnatas

&

& ſepultas denuò ex Erebo reuocare, & in vitam reſtituere conantur: nam & aquæ mixtionem cum vino non ſolùm extra ſacrificium, quæ eſt ipſorum ſobrietas; ſed etiam in ſacrificio, quæ eſt pietas, damnant. contra quos egregiè, vt ſolet, pugnat Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Euchariſtiæ Sacram. cap. 10.

Quartus error eſt aliorum, qui loco vini lac offerebãt, quos damnat Iulius Pontifex diſt. 2. de conſecrat. cap. *Cùm omne*, & Conciliũ Bracharenſe III. cap. 1.

Quintus error aliorum fuit, qui intinctam Euchariſtiam pro complemento communionis porrigebãt, quos etiam damnat Iulius Pontifex, & Concilium Bracharenſe ibidem. Videntur autem hi loco conſecrationis calicis, Euchariſtiam aliquo liquore intinxiſſe; reprehenduntur enim ex eo, quòd non ſeorſum panis, & ſeorſum calicis myſteria peragerent.

Sextus error eorum fuit, qui lac & mel, loco vini & aquæ offerebant, qui indicatur, & reprobatur in Concilio Carthaginenſi III. capite 24. & damnatur can. 57. Trullano, vt etiam antea cum alijs ſimilibus reprobatus fuerat, can. 30. Apoſtolorum, his verbis: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter præter ordinationem Domini alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare, id eſt, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, & confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut*

legumina contra consuetudinem faciens, congruo tempore deponatur.

Septimus error, cuius meminit Iulius Pontifex, dist.2 de consecrat. cap. *Cùm omne*, quorundam fuit, qui pannum lineum musto intinctum per totum annum reseruabant, & in tempore sacrificij partem eius aqua lauabant, & sic eam offerebant.

Octauus error Cataphrygarum fuit, qui farinam mixtam sanguine, quem ex infantis alicuius corpusculo ad eam rem minutis vulneribus eliciebant, pro materia habebant. ex Epiphanio hæresi 29. Augustino lib. de Hæresibus c.26. & 27. & Damasceno hæresi 48. & 49.

Nonus error Gnosticorum & Manichæorum fuit, qui infandis in rebus, quas quia aures horrent, consultò prætermitto, sicuti etiam prætermisit S. Thom. 3. p. q. 73. art. 1. hoc sanctissimum & immaculatum Sacramentũ conficiebant; imò non conficiebant, sed semetipsos decipiebant. non omittendum tamen, quia eorum temporibus grassabatur, putarunt sanctissimi Patres Epiphanius, & Augustinus, ille de Gnosticis hæresi 26. hic de Manichæis c.46. de hæresibus loquens.

Decimus error, cuius etiam meminit S. Tho. 3. p. qu. 73. art. 1. eorum fuit, qui ad panem caseum quoque adhibebant. referunt hunc errorem S. August. c. 28. de Hæresibus, & S. Epiphanius

nius hæresi 69 & eius sectatores Pepuziani, siue Artotyritæ dicti sunt.

Vndecimus error eorum fuit, qui Ophitæ sunt appellati, eò quòd colubrum iuxta altare alerent, vt per incantationẽ sacerdotis sacrificij tempore egressus, panem, in quo Eucharistia conficienda erat, lambendo præpararet. Probabile est autẽ, vel quid simile circa materiã calicis egisse, vel ipsam omninò prætermisisse.

Duodecimus error, siue abusus, fuit eorum, qui in calice maiorem aquæ, quàm vini quantitatem infundebant. quem improbat Honorius III. de celebrat. Missarum, cap. *Perniciosus*. Et hactenus de erroribus circa hanc materiam consecrationem præcedentibus; quos pluribus refellere non est opus, cùm omni fundamento careant, & expressè sint contra Christi institutionem, Apostolorum traditionem, & Ecclesiæ ritum. Propiùs igitur ad rem nostram accedentes, opiniones explicemus, quæ circa aquæ transmutationem in consecratione versantur. Est igitur prima opinio, siue error, conuerti aquam in humorem phlegmaticum corporis Christi. Refertur hæc opinio ab Innocentio cap. *In quadam*. de celebratione Missarum, & lib. 3. de Officio Missæ cap. 30. & eam reprobat præcipuè ob eius fundamentum, quod erat, ex latere Christi non veram aquam, sed humorem phlegmaticum simul

cum ſanguine fluxiſſe. quod contra Euangelicam veritatem eſſe ibidem Innocentius affirmat. Confutari etiam poteſt, quia verba conſecrationis indicant ſanguinem Chriſti eſſe in calice, non phlegma; ſed illud efficiunt, quod ſignificant: ergo quidquid eſt in calice, non in phlegma, ſed in ſanguinem vertunt.

Secunda opinio, quam quidam cum præcedenti confundunt, eſt, aquam verti in aquam illam quæ de latere Chriſti ſimul cum ſanguine effluxit: quam, vt minùs probabilem reliquit Innocẽtius cap. *Cùm Martha*. de celebrat. Miſſarum. Eam verò Henricus Henriquez li. 8. de Sacramentis cap. 12. tribuit Cano, & inquit eſſe temerariam, eò quòd ſit contra torrentem Doctorum. Eamdem impugnat S. Thom. 3. p. quæſt. 74. art. 8. quia ſi vera eſſet, aqua ſeorſum conſecraretur à vino, ſicut vinum à pane. Addit Franc. Suarez diſp. 45. in 3. p. ſect. 4. quòd illa aqua quæ exiuit de corpore Chriſti, non pertinebat ad veritatem & ſubſtantiam illius: Aqua enim, inquit, elementaris non eſt de ratione corporis humani, vnde omnes Sancti docent ſupernaturaliter ac miraculosè manaſſe aquam illam de corpore Chriſti iam defuncti, ergo illa aqua non manet nunc in corpore glorioſo Chriſti, ergo nón eſt, cur hæc aqua in illam conuertatur. Tandem ex formę verbis, ſicuti & præcedens, improbari poteſt.

Ter-

Tertia opinio est, aquam neque permanere in propria specie, neque etiam in aliam transmutari; sed omninò virtute Sacramenti in nihilum redigi Fauet huic sententiæ Ioan. Andreas Iuris Can. insignis doctor: nam in Commento in caput *Cùm Martha.* de celebrat. Missarum, inquit, *Dato quòd aqua non transubstātietur in sanguinem, absorbetur, & annihilatur virtute Sacramenti.* Verùm est omninò improbabilis hæc sententia. Primùm, quia ponit magnū miraculum sine vllo fundamento. Deinde, vel remanerent accidentia aquæ, vel non remanerent. si prius, ergo sub ipsis contineretur sanguis Christi: non enim alia ratione conseruarentur à Deo accidentia sine subiecto; si autem adesset sub eis sanguis Christi, iam hoc esset aquam in sanguinem Christi esse conuersam. Si dicas, non remanere accidentia, est manifestè contra sensum. Præterea numquam aliquid corrumpitur, nisi vt inde aliquid aliud generetur, quia corruptio, siue annihilatio, cùm tendat ad non esse, non est aliquid per se desiderabile: ergo dici non potest, quod aqua in nihil omninò redigatur. Tandem non solùm est hoc præter, sed etiam contra formam consecrationis, vt ex dictis contra primam opinionem constat.

Quarta opinio est Gulielmi Estij orat. 17. Theologica, *Frequenter, ac fortassis ordinariè, quon-*

quondam fieri solere, vt pars aqua vino infusa in vini naturam transeat, eique incorporetur: pars autem vsque ad consecrationem remaneat in sua natura, quæ post consecrationem simul in calice existat cum sanguine. Motus est Estius ad hanc opinionem excogitandam ex duplici significatione, quæ aquæ tribuitur: altera, qua repræsentatur mysterium sanguinis & aquæ simul effluentium è latere Domini, altera qua vnio populi fidelis cum Christo capite significatur. Ratione enim illius necessarium ei visum fuit, vt ipsa aqua cum sanguine remaneret; ratione autem huius, vt in vinum verteretur, quia virtute huius Sacramenti censentur fideles quodammodo in Christum verti. Præterea, quoniam olim Patres non erant solliciti, vt tam modica aqua calici apponeretur, quæ posset ante consecrationem in vinum conuerti; probabile igitur est, non totam aquam fuisse tunc in vinum conuersam, & consequenter aliquam eius partem simul cum Christi sanguine permansisse. & idcircò ipse ait, quondam ordinariè hoc fieri solere; nunc autem, quoniam multo minus aquæ vino apponitur quàm antiquitus, non audet asserere admodum frequenter id contingere.

Hæc tamen sententia omni probabilitate, meo iudicio, caret; repugnat enim omnibus Patribus, & omnibus Theologis, quibus numquam in mentem venit hæc distributio aquæ, imò

imò omnes habent pro inconuenienti aquam simul cum sanguine permanere, vt in sequenti sententia dicemus. Præterea, supponit è Philosophia, quod falsum est, & omninò improbabile, aquam vino mistam partim in ipsum conuerti, & partim in sua substantia permanere. Vera enim sententia est, quam lib. 2. de Gener. qu. 52. probauimus, nihil aquæ in vinum conuerti: qui tamen concedere vellet conuerti, non posset eam diuidere, vt facit Estius, quoniam aquæ minimæ partes permiscentur partibus vini vniformiter. si potest igitur hæc aquę pars à vino, cui est coniuncta, vinci, idem dicendum erit de reliquis partibus eius.

Ad argumenta ipsius facilis est responsio. Ad Primum enim, de repræsentatione aquæ, quæ ex latere Christi fluxit, respondemus, hanc sufficienter repræsentari ab accidentibus aquæ, quæ simul cum accidentibus vini remanent: mirumq; est hoc argumēto ipsum moueri potuisse, cùm iam vidisset Innocentiũ idem retulisse, & neglexisse. Ad alteram partem, de significatione vnionis populi cum Christo, Respondetur, hanc meliùs significari per conuersionē aquæ in sanguinem Christi quàm in vinum. Nam si conuersio in vinum fieret ante consecrationem, vt ipse opinatur, inciperet adesse significatio Sacramentalis, antequā Sacramentũ conficeretur. quod est absurdum. Sed quamuis etiam

etiam concederemus significandam esse vnionem populi fidelis cum Christo vnione aquæ cum vino; non inde tamen sequeretur aquam physicè esse vertendam in vinum, sicuti neque populus in Christũ physicè vertitur, sed summùm moraliter, sicuti moraliter tantùm dici potest populus in Christum conuerti.

Ad Secundum Respondetur, eosdem Patres, quibus curæ non erat aquam in vinum verti, asseruisse tamen absolutè aquam in sanguinem transmutari. ex quo colligitur, ipsos verè voluisse aquam sanguinem fieri independenter à conuersione ipsius in vinum.

Quinta opinio, cuius etiam meminit Innocentius loco suprà citato, est, aquam remanere post consecrationẽ simul cum sanguine, quam & ipse vt minùs probabilem reliquit, & Theologi omnes deinde reiecerunt. De ea loquens S. Thom. 3. p. q. 74 art. 8. inquit, *Hæc opinio non potest stare.* Dominicus Sotus in 4. dist. 9. qu. 1. sub finem, *Si solum vinum*, inquit, *consecraretur, & aqua illic maneret in substantia aquæ; hoc esset plebem seducere, quæ adorat quidquid substantiæ sub illis accidentibus reconditur* : *tametsi*, inquit, *per ignorantiam excusaretur. Verùm sacerdos immane sacrilegium committeret, præsertim si prudens & sciens id faceret.*

Didacus Nuñes ex Ordine quoque Prædicatorum in 3. p. q. 24. art. 8. de eadem verba faciens,

ciens, inquit, *Nostris temporibus iam est temeraria, quia est contra communem sententiam Scholasticorum: & Doctores sancti communiter docent totum illud, quod continetur in calice, conuerti in sanguinem Christi.* Franciscus Suarez disp. 65. in 3. part. sect. 4. *ab omnibus Scholasticis*, inquit, *eamdem esse reiectam*. Et tandem eruditissimus Cardin. Baronius anno Domini 1192. tom. 12. eam hæresim appellat, ad quam confutandam, inquit patratum fuisse miraculum, de quo infrà agemus.

SECTIO II.

Sexta aliorum sententia proponitur, & argumentis roboratur.

EXistimant huius sententiæ sectatores aquam priùs in vinũ verti, ac deinde in sanguinem; si quando tamen contingat tempore consecrationis aquam adesse, malunt ipsam in propria specie simul cum sanguine permistam remanere, quàm immediatè in sanguinem verti. Plurimi pro hac sententia citari solent auctores; qui tamen eam expresè tradiderint, non sunt adeò multi. Nam veteres Theologi, vt plurimùm hoc tantùm asserũt, aquam priùs verti in vinum, ac deinde in sanguinem, nullam facientes mentionem de aqua, quæ tempore consecrationis non sit in vinum conuersa.

Imò

Imò Guliel. Estius orat. 15. apud nullum Theologum inquit se legisse tractatam ex professo hanc quæstionem; ex recentioribus tamẽ præter ipsum Estium diffusè ipsam pertractant Franc. Suarez disp. 65. in 3. p. sect. 4. & Gabriel Vasquez disp. 178. in 3 p. qui etiam suprà relatam sententiam sequuntur: quam auctoritatibus & rationibus munire eius sectatores satagunt, in hoc præcipuè incumbentes, vt probent, aquam non posse immediatè in sanguinem verti, neque materiam Eucharistiæ esse dicendam.

Probant ergo primùm ex Concilijs. Nam Carthagin. III. can. 24. præcipit, *ne ampliùs in sacrificiis offeratur, quàm de vuis & frumentis.* Patres Concilij Triburiensis can. 19. statuentes aquam sic esse cum vino miscẽdam, vt duæ partes sint vini, vna verò aquæ; hanc addunt rationẽ, *Quia maior est maiestas sanguinis Domini, quàm fragilitas populi, qui per aquam designatur.* Sentiunt ergo, solum vinum, non etiam aquam in sanguinem conuerti. Patres Synodi Trullanæ can. 32. morem Armenorum corrigentes, qui solo vino vtebantur, dicunt inter alia, *Incruentum sacrificium peragi ex pretioso Redemptoris sanguine & aqua*: existimant ergo aquam non conuerti in sanguinem, cùm eam à sanguine distinguant. Concilium Florentinum loquens de materia Eucharistiæ, solius vini me-

meminit, dicens: *Tertium est Eucharistia Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite*; deinde meminit aquæ tamquam cuiusdam ceremoniæ, dicens, *Cui ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet.* Concilium Lateranense sess. 13. can. 12. panem tantùm & vinum asserit esse materiam Eucharistiæ. Denique Concilium Trident. sess. 13. continente decretum de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, nusquam aquæ meminit, sed assiduè nominat panis & vini benedictionem, consecrationem, conuersionem, transubstantiationē.

Secundò, adducuntur Summi Pontifices. Vt Iulius I. qui, vt citatur apud Gratianum de consecrat. dist. 2. *Manifestum est*, inquit, *& euidens exemplum veritatis Euangelicæ illuxit, quòd præter panem & vinum, aliud offerri non licet.* Innocent. quoque III. cap. *Cùm Marthæ.* de celebrat. Missarum, hanc quæstionem proponens, & deinde soluens, eam approbat sententiam, quæ asserit, aquam cum vino transubstantiari in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino; censet igitur eatenus transire in sanguinem, quatenus priùs transit in vinum. Et id ipsum repetit lib. 4. Mysteriorum Missæ c. 29. His addi potest Catechismus Romanus Pij V. iussu editus, qui ait hanc esse omnium Ecclesiasticorum sententiam.

Tertiò, probatur ex Patribus. Nam S. Cypria-

prianus epist. 63. ad Cæcilium aquam excludit his verbis, *Cùm dicat Christus, Ego sum vitis vera, sanguis Christi non aqua est vtique, sed vinum.* & infrà, *Inuenimus & in Genesi circa Sacramentum hoc, hoc idem præcessisse, & figuram Dominicæ passionis illic extitisse, quod vinum bibit.* & subdit, quòd Noë typum futuræ veritatis ostendens, non aquam, sed vinum biberit. Præterea infrà hoc idem figuratum ostendit Gen. 40. illis verbis, *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum: Quando autem sanguis vuæ dicitur,* inquit S. Cyprianus, *quid aliud, quàm vinum calicis Dominici sanguinis ostenditur?* & in sequentibus adducit illud Isaiæ 65. *Quare rubicunda sunt vestimenta tua, & indumenta tua velut in conculcatione torcularis pleni, & percalcati?* cui subdit: *Numquid rubicunda vestimenta aqua potest facere? aut in torculari aqua est, quæ pedibus calcatur, vel prælo exprimitur? Vini vtique mentio est, & ideò ponitur, vt Domini sanguis vino intelligatur, & quod in calice Dominico postea manifestatum est, Prophetis annuntiantibus manifestaretur.*

S. Ioannes Chrysost. super illa verba Domini Matth. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis,* hom. 83. *De genimine vitis,* inquit, *quæ certè vinum, non aquam producit.*

S. Augustinus in libro Sententiarum Prosperi, vt citatur eodem loco cap. 41. *Fateamur,* inquit, *ante consecrationem panem esse, & vinum,* quod

quod natura formauit; post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem, quæ benedictio consecrauit. Denique Patres nusquam dicunt, aquam materiam esse huius Sacramēti, sed plerisque in locis magis contrarium significant, dum solius panis & vini mentionem faciunt.

Quartò, ex Theologis Scholasticis & alijs Doctoribus. Nam docuit hanc sent. S. Thom. in 4. dist. 11. quæst. 4. art. 4. & in 3. p. q. 74. art. 8. Alensis 4. p. q. 32. memb. 5. a. 2. & reliqui Theologi in 4. dist. 11. vt S. Bonauent. 2. p. dist. art. 1. q. 3. Scotus q. 7. Ricard. a. 2. qu. 5. Maior. qu. 2. Paludanus q. 1. art. 2. quibus adde Hugonem à S. Victore, qui quæst. 93. in 1. epist. ad Corinth. cùm quæsiuisset, An aqua cum vino mutetur in sanguinem, respondet: *Dicunt quidam, quòd mutatur: Nobis autem videtur, quòd non mutatur, quod à magistro Acardo accepimus.* Et idem sentit Rabanus lib. de Corpore Domini cap. 4. Necnon Iacobus à Vitriaco Cardinalis in historia rerum Occidentalium cap. vlt. & Gabriel lect. 35. super Canonem Missæ, vbi inquit, hanc sententiam, tamquam indubitatam, sequi communiter Theologos, vt omittam recentiores, qui ferè omnes in eamdem pedibus eunt, præcipuè verò Thomistæ, qui etiam ante Missam inchoatam aquam vino miscent, ne ob temporis breuitatem contingat tempore consecrationis, aquam non esse in vinum conuersam.

Imò Græci, quorum ritus ſequuntur Moſcouitæ, vino conſecrato infundunt aquam calidam, dicentes illud Euangelicum, *Continuò exiuit ſanguis & aqua*: non ergo intendunt, quod aqua tranſeat in ſanguinem.

Quinto loco ſuccedit prima ratio, videlicet: Eccleſiá non habet poteſtatem materias Sacramentorum inſtituendi, ſed aqua apponitur vino conſecrando ex præcepto Eccleſiæ, vt teſtatur Concilium Trident. ſeſſ. 22. c. 7. & eſt cõmunis ſententia Theologorum. ergo aqua non eſt materia, conſequenter nullo pacto verti poteſt in ſanguinem: neque enim eſt veriſimile dediſſe Chriſtum poteſtatem ad conuertendam materiam, quam non præcepit apponi.

Sextò, ſicuti ſolus panis eſt materia proxima conuertibilis in corpus Chriſti, & licèt fiat ex farina & aqua, tamen aqua manens in ſua ſubſtantia non eſt capax illius conuerſionis, niſi priùs tranſeat in ſubſtantiam panis: ita ſolum vinum, quod ex æquo ponitur cum pane, vt materia huius Sacramẽti, eſt proximè conuertibile in ſanguinem, & non aqua, niſi in ſubſtãtiam vini tranſeat. quod confirmatur auctoritate Cypriani, qui hac ſimilitudine vtitur.

Septimò. Argumentatur Suarez; ſi aqua eſt ex æquo materia ac vinum, reddi non poteſt ratio, cur non ſit æquè neceſſaria ac vinum, vel non poſſit ipſa ſola ac pura immediatè cõuerti

uerti in sanguinem, sicut potest purum vinum.

Octauò. Argumentantur, si sufficit mixtum vinum per iuxta positionem, ergo etiamsi misceatur æqualis vel maior pars aquæ, nihilominus totum illud mistum vertetur in sanguinē, quia revera est vinum mistum, vsuale: nec potest reddi ratio, cur minor quantitas possit cōuerti, & non maior.

Nonò. Saltem sequitur, solam aquam, dummodo habeat accidentia vini, etsi non habeat admistam eius substantiam, posse conuerti in sanguinem. quod est omninò falsum.

Decimò. Sequitur etiam, vt, si contingeret vinum & aquam ita misceri, vt vtriusque substantia periret, & fieret aliquod distinctum habens accidentia vini, quod in ordine ad communem potum vel vsum existimaretur vinum ymphatum; nihilominus illud esset materia nguinis. quod est alienum à sacra doctrina, : à definitione Conciliorum.

Vndecimò. Si addatur vino aqua rosacea, recipiat accidentia eius, licèt in vinum non anseat, sequitur posse conuerti in sanguinem risti, quia etiam totum illud mistum est per odum vnius potus, & substantia aquæ natuis per se sumptæ non est magis materia, àm substantia aquæ rosaceæ.

Duodecimò. Si aqua in sua substantia perjens in sanguinem conuertitur, ergo sub

eius accidentibus conſeruaretur ſanguis Chriſti, etiamſi vinum aceſceret. quod eſt falſum.

Decimotertiò. Si aqua conuerteret in ſe ſpecies vini conſecrati, ſequeretur, ſanguinem Chriſti eſſe totum ſub ſpeciebus aquæ. quod non eſt dicendum.

Decimoquartò. Si ſepararetur aqua poſt conſecrationem à vino, ſequeretur ſub illis ſpeciebus aquæ remanere ſanguinem Chriſti, eſſet igitur Sacramentum Euchariſtiæ ſub ſpeciebus aquæ tantùm. quod eſt abſurdum.

Decimoquintò. Sequeretur poſſe conſecrari aquam ſolam ſine vino, ſaltem quando aqua eſt miſta vino: nam per huiuſmodi miſtionem redditur aqua apta materia ſanguinis: ergo poterit ſacerdos dirigere intentionem ad aquam tantùm, & ita illam ſine vino conſecrare.

SECTIO III.

Septima ſententia explicatur, & ex iis, quæ Chriſtus Dominus ſacratiſſimam Euchariſtiam inſtituens geſſit, comprobatur.

AFFIRMAT hæc ſententia aquam non eſſe quidem per ſe materiam Euchariſtiæ, nec ſolam, nec æquè principalem ac vinum; ſed tamen ſimul cum vino, & ipſi vino per miſtionem incorporatam, ſiue deinde ſit verſa in vinum ſubſtantialiter & phyſicè, ſiue non, ſemper verti

verti in ſanguinem Chriſti,ita vt potiùs dici debeat commateria,quàm materia calicis Domini. quare falluntur, qui eam impugnant, quaſi velit, aquam non minùs principaliter, quàm vinum,eſſe materiam ſanguinis Domini:quod ipſa maximè auerſatur. Hoc pacto autem hæc ſententia explicata,plurimos habet ſectatores, & grauiſſimos patronos, vt infrà videbimus. Notandum autem,videri aliquibus differre inter ſe huius ſententiæ auctores,eò quòd exiſtiment quidam aliquando tantùm contingere, vt tempore conſecrationis aqua non ſit verſa in vinum, ac proinde aliquando tantùm verti immediatè in ſanguinem; alij verò cenſeant, numquam verti aquam ſubſtantialiter in vinum, & per conſequens ſemper verti immediatè in ſanguinem.Re vera tamen hoc diſcrimen totum eſt philoſophicum,& nihil adTheologiam attinens.Nam, qui ſemel tantùm admiſerit aquam verti immediatè in ſanguinem, id ſemper fieri, fateri cogetur, ſi ſemper aqua tempore conſecrationis reperta fuerit non conuerſa in vinum: ſemper enim eamdem vim habent, & eodem pacto ex ſe verba conſecrationis operātur. An autem ſemper,vel aliquando tantùm aqua in ſua ſubſtantia permaneat, ex philoſophia dependet.

Dices,Ergo neque differrent quinta & ſexta ſententia, quarum illa ſemper aquam rema-

nere asserebat simul cum sanguine, hæc autem aliquando tantùm.

Respondeo, quoad substantiam reuera parum aut nihil differre, diuersas tamen censeri; quia illa ab omnibus reijcitur, hæc multos habet patronos.

Sed vt ad septimam, quæ etiam nostra est, reuertamur, ante omnia, ne in vacuum laborare, & aërem verberare videamur, firmiter constituendum est, tempore consecrationis calicis, aliquando saltem aquam in propria substantia vino admistam adesse. Dixi *aliquando saltem*, quia iuxta sententiam in Philosophia probabilissimam, quòd aqua numquam in vinum cõuertatur; tum quia elementum simplex non potest in mistum conuerti, tum quia in qualitatibus actiuis, scilicet humiditate & frigiditate, vinum & aqua conueniunt, & propter alias rationes, de quibus abunde suo loco egimus, non aliquando solùm, sed semper hoc contingere, erit dicendum. Nunc contendimus aliquando saltem, etiam in eorum opinione qui dicunt posse vinum aquam in se conuertere, necessariò fatendum. Triplici videlicet ratione, quantitatis, qualitatis & temporis. Quantitatis, vt si multum aquæ admisceatur: non enim tam facilè magna quantitas aquæ, quàm parua à contrario vincitur, nec semper tam oculati esse possunt sacerdotes, vt ea tantùm quantitas

aquæ

aquæ apponatur, quæ facilè & citò à vino superari possit. Qualitatis, vt si vinum sit debile: adhibetur enim aliquando in Missæ sacrificio vinum adeò imbecille, vt vix ab aqua discernatur: quod proinde non est credibile aquam in vinum transmutare posse; præcipuè cùm sit in modica quantitate, & tam paruum temporis interuallum intercedat. Temporis denique, quoniam si sacerdos ante oblationem calicis aquam apponere obliuiscatur, iubetur per Missalis rubricas post consecrationem corporis apponere, & statim consecrare calicem. Cùm autem hæc transmutatio aquæ in vinum non fiat, nisi per contrariorum actionem, non vtique fieri poterit in instanti, & consequenter non ante prolationem verborum quibus consecratur calix. Dices fortè, vel à vino aquam in se conuerti, vel ab aqua ipsum peruerti, & inter hæc duo non dari medium, sicque numquam erit aqua mixta vino tunc temporis, sed vel aderit purum vinum, vel aqua solùm. Verùm facilè hoc reijcitur, quia, vt à vino vincatur aqua, debet illud vi maiori pollere, vt aqua vincat, minori: ergo si vires sint pares vel proportionatæ, neutra ex parte victoria stabit. Præterea magnum ex illa sententia sequeretur absurdum, numquam scilicet esse nos certos adesse in calice post consecrationem sanguinem Christi. Probatur illatio, quia nemo

certè ſcire poteſt tunc temporis, quando forma calicis prolata fuit, aquam in vinum fuiſſe conuerſam, cùm & in quæſtione, An aqua conuertatur, ſit poſitum, & nullo ſenſu quando hęc conuerſio fiat, dignoſci poſſit; etſi enim quis vinum aquâ miſtum diligentiſſimè intueatur, nullam tamen mutationem in eo aduertet, qua affirmare poſſit, nunc & non antea, hanc conuerſionem factam fuiſſe: atqui ſi aqua non eſt in vinum verſa, vinum per Aduerſarios erit ab aqua corruptum, quia inter hæc non datur medium, & corrupto vino, quod eſt neceſſaria materia calicis, non fit ibi præſens ſanguis Chriſti: ergo cùm ſimus incerti de aquæ conuerſione, de ſanguinis Chriſti præſentia incerti quoque erimus. Denique Suarez, Vaſquez, & alij ex Aduerſariis doctiſſimi, nullum in hoc nobis negotium faceſſunt, quorum auctoritati, & reliquos eis in hac quæſtione conſentientes, par eſt acquieſcere.

Hoc igitur conſtituto, tot rationum & auctoritatum propugnaculis hanc ſeptimam ſententiam munitam reperimus, vt neceſſe ſit in plures ſectiones ea diuidere; exordiemur autem ab auctoritate, qua nulla poteſt eſſe maior, ſcilicet, Domini noſtri Ieſu Chriſti: cùm enim Sacramentorum auctor ipſemet fuerit, certiorem planè regulam eorum naturæ dimetiendæ inuenire non poſſumus, quàm eius voluntatem,

tatem,quæ per ipsius verba & actiones se nobis prodit. Si igitur ostenderimus à Christo Domino in huius Sacramenti institutione aquam fuisse in suum sanguinem immediatè conuersam, actum erit de tota controuersia, nec vllus ampliùs ambigendi locus relinquetur,quin idem, dum ab eius ministris hoc sacrificium conficitur, eueniat. Porrò, vt illud ostendamus,tria nobis probanda sunt.Primum est,Christum aquam vino in calice consecrando miscuisse. Secundum, aquam non fuisse in vinum conuersam tempore quo verba consecrationis ipse Dominus protulit. Tertium,per verba consecrationis totum id quod erat in calice per modum potus,ac proinde aquam,in sanguinem suum vertisse. quæ omnia ordine, quo proposita sunt, vera esse ostendemus.

Quo ad primum. Fuit opinio Waldensis lib.1.de Sacramentis tom.3.cap.32. Christum Dominum in puro vino consecrasse, nec vllo modo aquam admiscuisse, eamque probat auctoritate Chrysostomi hom.83.in Matth. vbi disputans contra eos qui solam aquam offerebant in calice, videtur huic opinioni fauere: quem tamen aliter exponunt Patres Concilij Trullani canon.32. Nonnullos etiam alios Patres falsò suæ sententiæ suffragari affirmat, vt aduertit Franc.Suarez disp.74.sect.1. sed neque Paschasius li.de Corp.& sanguin.Christi

sti cap. 11. nec Rabanus, quos pro hac sententia adducit ipse Suarez, illi verè patrocinantur. Nam Paschasius inquit tantùm, *Non legi*, (scilicet in Euangelio) *Christum aquam miscuisse*. Rabanus verò apertè miscuisse affirmat lib. 1. de Instit. clericor. cap. 31. cuius verba infrà sect. 5. adducemus. Durandus potiùs videtur ab hac sententia non longè abesse, qui in 4. dist. 11. quæst. 5. existimat, hoc incertum esse.

Contraria tamen sententia, (si modò sententia, & non articulus potiùs fidei est appellandus,) est receptissima inter Theologos. *Ferè certa est*, inquit de ea Suarez, *ita enim docent antiquissimi Patres, & multum inclinauit in hanc sententiam Concilium Tridentinum*. Verùm suspicionem mihi ingerit hic auctor (quamuis alioqui summè laudandus, & de sacra Theologia optimè meritus,) quoniam videbat ex hoc principio admodum probabiliter deduci contra ipsius opinionē, aquam in sanguinem conuerti, neque tamen ipsum euertere poterat; conatum esse infirmius reddere, cùm verè non solùm inclinet in hanc sententiam Concilium Tridentinum, vt ipse ait, sed planè veluti certam supponat. sess. enim 22. cap. 7. hæc habet verba: *Monet deinde sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quòd Christum Dominum*

ita

ita fecisse credatur, &c. Et clariùs can. 9. *Si quis dixerit aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eò quòd sit contra Christi institutionem; anathema sit.* Non proferret autem anathema contra dicentes hoc esse contra Christi institutionem, nisi pro certo contrarium haberet; quamuis enim posset quis dicere, non esse contra Christi institutionem, sed præter; non videtur tamen hæc distinctio hîc locum habere, quoniam si Christus aqua vsus non fuisset, tunc diceretur in vino tantùm instituisse hoc Sacramentum, & proinde vti aqua esset contra eius institutionem. quare Cardinalis Bellarminus fidei Catholicæ propugnator acerrimus lib. 4. de Eucharistia cap. 10. inquit, non minùs certum esse Christum Dominū aquam vino miscuisse, quàm quòd vinum consecrauerit: vtrumque enim asserit haberi ex traditione, pro qua etiam plurimos Patres citat, sicuti & Guliel. Alanus lib. 1. de Eucharistia c. 13. cur autem hoc fecerit Christus Dominus, plures afferunt suprà citati Auctores rationes, & nos infrà proferemus.

At dices, Euangelium hoc nòn docet. Verum est, sed non omnia tradiderunt Euangelistæ: nam neque explicant panem illum, quem Christus consecrauit, fuisse triticeum, & tamen de hoc nemo dubitat. Immò addit Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Eucharistia cap. 11. neque habe-

habetur ex Euangelio, quòd in vino consecrauerit: nam verba illa, quæ ad hoc probandum solent afferri, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, non sunt de calice, siue consecrato, siue consecrando intelligenda. Et rectè quidem. Inde tamen probabilissimum habemus argumentum, in vino Dominum consecrasse, quia vino tunc vtebatur. quare cùm dicitur accepisse calicem, meritò intelligitur de potione in illa cœna consueta: nisi tamen accederet etiam traditio, & Patrum expositio, non possemus illo argumento conuinci. Possent etiam in huius rei confirmationem alia proferri Sacramēta, vt Extrema Vnctio & Confirmatio, de quibus in Euangelio nulla est mentio; sed clarius est apud Catholicos, quàm vt probatione indigeat, ex traditionibus multa haberi, quæ in Euangelijs non leguntur, neque tamen inficiari ea, vel negligere fas esse. Addit S. Bonauentura non fuisse hoc ab Euangelistis relatum, ne crederemus esse de necessitate Sacramenti; haberi autem ex traditione, vt sciamus esse de necessitate præcepti. Primum igitur punctum firmissimè constitutum manet.

Quo ad Secundum, scilicet immediatè ante verba consecrationis non fuisse aquam in vinum conuersam, in quo totius argumenti, immò disputationis cardo constitutus videtur, firmissimæ quoque non deerunt nobis probationes.

iones. Et Primùm, vel fuiſſet aqua conuerſa in vinum ſupernaturaliter, vel naturaliter. Illud nemo, opinor, dicet, quia nulla hîc adeſt neceſſitas, nullum fundamentum, nulla ratio miraculum aſſerendi. hoc dici non poteſt, quia nequit vinum viribus naturæ aquam in ſe conuertere. Sed quia hoc non admittunt Aduerſarij, alijs argumentis vtamur. Probatur igitur Secundò, etiam iuxta principia Aduerſariorũ. Vel immediatè, vel breuiſſima interpoſita mora, poſtquam vino miſcuit aquam, verba conſecrationis Chriſtus Dominus protulit, ergo non fuit aqua in vinum conuerſa. Antecedens probatur ex traditione Apoſtolorum; in primis enim S. Iacobus in ſua Liturgia, quam pro germana agnoſcunt Patres Concilij Trullani can. 32. & alij Patres, vt refert Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ verbo *Iacobus*, & Margarinus tom. 6. Bibliothecæ veterum Patrum in principio: Sanctus, inquam, Iacobus ait, *Similiter poſtquam cœnauit accipiens calicem, & permiſcens ex aqua & vino, & aſpiciens in cælum, ac oſtendens tibi Deo, & Patri gratias agens, ſanctificans, benedicens, implens Spiritu ſancto, dedit nobis diſcipulis ſuis, dicens, Bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti.*

S. Marcus eadem ferè habet in ſua Liturgia: inquit enim: *Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, accipiens, factaq; vini & aquæ commixtione,*

ne, suspiciens in cælum ad te Patrem suum, Deumq; nostrum, & Deum vniuersorum, gratias egit, benedixit; sanctificauit, impleuit Spiritu sancto, & tradidit, &c.

Ex his ergó colligitur breuissimam fuisse moram inter aquæ mistionem, & consecrationem: quamuis enim non dicant post aquæ infusionem Christum immediatè consecrasse, cùm tamen immediatè consecratio referatur, hoc sufficit, vt credamus immediatè hoc contigisse; quia non solent historici, dum res aliquas narrant quæ ordine se consequuntur, dicere hoc immediatè factum fuisse post illud, quia ex consequenti narratione, dum ratio in contrarium non occurrit, hoc satis colligitur. Confirmatur ex Euangelistis, nam ipsi quoque dicunt, Dominum post acceptum calicem gratias egisse, ac consecrasse. at non est verisimile vinum & aquam calici infudisse, antequam illud acciperet, cùm contrarium ex supradictis liturgijs colligatur; neque in gratiarum actione diu perstitisse, cùm vnico verbo ab Euangelistis referatur, & ab aliis (*Marc.* 14.23.) gratiarum actio in participio ponatur, his verbis scilicet, *Gratias agens dedit eis.* qua phrasi simul cum gratiarum actione, calicem tradidisse declaratur, ergo paulò post aquam infusam verba consecrationis protulit.

Tertiò, idem probatur, quia consecratio pa-

nis

is & vini sunt duæ partes vnius sacrificij; ergo on magna temporis mora debuit inter eas ntercedere; alioqui non viderentur habuisse ordinem, & vnionem inter se. quapropter & Ecclesia post panis consecrationem non differt consecrare calicem.

Quartò, confirmatur, quoniam Christus omnia summo decore faciebat: at non admodum decens homini sobrio & graui videtur, calicem in manu habentem sermonem in longinquum protrahere: ergo non est credendum id fecisse Christum; sed paulò post acceptum calicem, & aquam infusam consecrasse.

At obiiciunt nobis Aduersarij S. Bonauenturam, qui in 4. dist. 11. 2. p. art. 1. aduertit, Christum Dominum non antea consecrasse calicem, quàm aqua in vinum fuerit conuersa. Verùm si considerentur verba S. Bonauenturæ, facilis est responsio: inquit enim, *Ad illud, quod obiicitur; vtrùm Dominus posuerit*, (scilicet aquã) *dicendum, quòd sic, sed non tamquam necessariam, sed tamquam congruam: & hoc patet, quia vinum erat, ex quo confecit: ergo aqua transierat in vinum, antequam conficeret*. Totum igitur fundamentum S. Bonauenturæ est, quia dicitur Christus in vino consecrasse, cui cùm satisfecerimus, erit etiam eius auctoritati satisfactum.

Dicimus igitur ad eius fundamentum, dici Christum consecrasse in vino, quia etsi mista sit

aqua vino, totum illud mistum appellari solet simpliciter vinum, vt infrà copiosiùs probabimus. Adde, quòd multi Patres expressè asserunt, Christum consecrasse id quod mistum erat in calice: sic Irenæus lib.4. c.57. *Dominus*, inquit, *temperamentum calicis suum sanguinem confirmauit.* sic Theodor. dialogo 1. ait, *Christum suum sanguinem fecisse id quod in calice infusum & commixtum erat.* Sic Concilium III. Carthag. cui S. Augustinus interfuit; præcipit enim can. 24. *vt in Sacramento corporis & sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum.* Et clariùs Concilium Florentinũ in decreto Eugenij, vbi dicitur, Christum Dominum in vino aqua permixto hoc Sacramentum instituisse: tunc enim instituit, quando verba consecrationis protulit, vt alios omittam quos Cardinalis Bellarminus lib.4. c.10. diffusè refert.

Colligitur etiam ex Scriptura, ex illo loco Prouerb. 9. *Bibite vinum, quod miscui vobis:* quamuis enim iuxta litteralem sensum Scripturam sacram per hanc mensam, & hoc vinũ intelligat Iansenius, & miscere vinum apud profanos auctores idem sæpè sit, quod præparare, & propinare; Patres tamen communiter hunc locum exponunt de conuiuio altaris, in quod ipse quoque Iansenius ait, longè perfectiùs & excellentiùs, quæ hîc dicuntur competere;

ретere; & S. Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium ex hoc loco probat, aquam vino esse miscendam in calice Domini. inquit enim: *Sed & per Salomonem Spiritus sanctus typum Dominici sacrificij antè præmonstrat.* & paucis interpositis, *Vinum mixtum prophetica voce pronũciat.* Idem sentit S. Hieronymus, siue, vt alij volunt, Beda in huius loci commentario; nam, *in pane*, inquit, *corporis ipsius, in vino mixto sanguinis sacrosancti mysterium, quo in Altari, mensa videlicet eius, satiamur, ostenditur.* Et de eodem conuiuio altaris non solùm S. August. lib. 17. de Ciuitate Dei c. 20. hunc locum intellexit; sed etiam Iudæos ipsum ita interpretatos refert Rabbi Moyses Hadarsam in cap. 14. Gen.

Ex his igitur liquet nedum certum non esse, vinum purum fuisse illud, quod Christus in sanguinem consecrauit; sed potiùs ferè exploratum aqua fuisse permistum, etiam tempore consecrationis. quare ruit fundamentum S. Bonauenturæ; nisi velimus dicere, quod magis mihi probaretur, locutum fuisse S. Bonauenturam de conuersione morali. Nam ea ratione inquit aquam fuisse in vinum conuersam, qua vinum appellatur id, quod Christus consecrauit; sed hoc vinum dicitur, non quòd secundùm omnes suas partes esset substantialiter vinum; sed quia vsu communi solet appellari vinum id quod est mixtum ex aqua & vino. eo-

dem igitur pacto, inquit S. Bonauentura aquã esse conuersam in vinum, id est, ita fuisse vino vnitam, vt iam communi vsu sub vini nomine comprehẽderetur. Habemus igitur, si non tamquam certissimũ, saltem tamquam valdè probabile, paulò post aquæ infusionem, Christum Dominum verba consecrationis protulisse.

Verùm dices, Cur ergo Ecclesia non imitatur Christum aquam infundendo immediatè ante consecrationem? Respondeo, Ecclesiam imitari Christum, quòd simul cum vino ponit aquam in calice, item quòd post consecrationem panis consecrat calicem, & in aliis, quæ spectant ad substantiam huius Sacramenti & sacrificij. Non imitatur autem in omnibus circumstantiis, ita à Spiritu sancto edocta ob maiorem huius Sacramenti reuerentiam; nam neque quo ad tempus, vesperi celebrat, neque post comestionem: aliqua enim faciebat Christus Dominus, quæ ratione temporis & personarum congrua tunc maximè erant, quæ modò non congruerent. Ponit ergo nunc Ecclesia ante consecrationem corporis vinum & aquam in calice, vt simul priùs offerat in propria specie, & tum sacerdos ipse se disponat ad tam excelsum ministerium, tum ipsa materia tanti Sacramẽti suo modo per quamdam sanctificationem extrinsecam præparetur. Hæc igitur pro antecedenti superioris argumenti

sint

ſint dicta. Probabimus nunc conſequentiam, ſcilicet, ergo nondum aqua erat in vinum conuerſa.

Vi maiori ad conuertendum in vinum humorem illum aqueum, quem ex terra exugit, prædita eſt vitis, quàm ſit vinum ipſum ad generandum aliud vinum ex aqua ſibi admiſta: atqui vitis non niſi integro anni circulo, cæleſtibuſque influentiis, & ſolis vehementi calore adiuta illud poteſt: ergo in tam breui mora, quam oſtendimus interceſſiſſe inter aquæ cõmiſtionem, & calicis conſecrationem, non eſt veriſimile vinum potuiſſe aquam in ſe commutare, & nouum vinum gignere. Minor experimento patet. Maior probatur: quoniam vitis eſt animata, & vi nutriendi prædita, vinum autem eſt inanime, & beneficio nutritionis conſequenter caret. Secundò, vinum omnem ſuam vim habet à vite, ergo non ea maiorem. Tertiò, vinum eſt extra locum proprium, & connaturalem ſibi ſtatum, qui eſt in cortice vuæ, ergo imbecillius. Quartò, non eſt in fructu, quòd vim maiorẽ gignendi habeat, quàm ſemina, quæ ad hoc à natura ſunt inſtituta: at hæc non ſunt vinum, ſed granula illa, quæ in acinis vuæ conſpiciuntur, quæ tamen longo indigẽt tempore, vt poſſint ex ſe proferre vitem, & ea mediante vinum: ergo multò minùs vinum in breuiſſima temporis morula gignere

poterit aliud vinum, nam aquam in se conuertere est vinum ex illa gignere. Quintò, vinum ab alio vino genitum (si tamen gigni potest) est longè imperfectius, quàm quodlibet aliud à vite productum; adeò vt homines decipi se putent, si eis vinum, cui admista fuerit aqua, vendatur, ac si totum esset vinum de vite. qua de re tamen conqueri non possent, si vinum ex aqua genitum longè imperfectius non esset, quàm vinum de vite. Si igitur effectus vini est imperfectior, ergo etiam virtus causæ, & consequenter vitis productiua virtus longè maior erit, quàm vini. quod erat probandum.

Præterea, quo magis materia distat à perfectione formæ introducendæ, eo longiori tempore opus est ad eam gignendam: at aqua quã longissimè abest à perfectione vini: ergo non breuissimo tempore potest ad eius formam disponi. Probatur minor, quia vinum est opus viuentis, & liquor perfectissimus, aqua verò elementum simplex, & liquor imperfectissimus: ergo maximè inter se distant.

Confirmatur, quia probabile est, Christum Dominũ non vnam aut alteram tantùm guttam aquæ calici infudisse; nam S. Thom. in 4. dist. 11. & alij Theologi passim probant, Christum vinum aqua dilutum consecrasse, quia moris eius erat, vino aquam miscere; sicut etiam cæterorum illius regionis hominum pro-

pter

pter vim & potentiam vini; at Christus non solebat vnam aut alteram tantùm guttam aquæ vino miscere, ergo neque id fecit in consecratione calicis. Respondet ad hoc Suarez sect. 2. illam ex Christi, vel illius gentis more deductam rationem non probari Theologis: præterea ait, Christum non instituisse hoc Sacramentum inter cœnandum cœna vsuali, ac si rem communem & vulgarem ageret, sed ante inchoatam illam singulari attentione & reuerentia, pro vt mysterium postulabat. Vnde fit, non oportuisse, vt vteretur in mysterio vino misto modo vsuali, sed modo mystico, pro vt nunc in sacrificio fit. Verùm non satisfacit; primum enim, quod ait, illam rationem ex more gentis deductam non probari Theologis, cùm indefinitè id pronuntiet, si velit æquiualere propositioni singulari, verum erit: ipsi enim, vel alteri Theologo fortassis non probatur, at potiori iure possumus nos dicere, probari Theologis, quia placuit D. Thomæ loco suprà citato. Magistro Sentent. in 4. dist. 11. Alensi 4. p. q. 10. membr. 4. art. 1. Gabrieli lect. 3. in Canonem. Soto in 4. dist. 9. q. 1. art. 6. Dionysio Carthusiano in 4. dist. 8. q. 3. Henrico Henriquez lib. 8. cap. 12. & aliis communiter. quare Thost. paradoxo 2. q. 34. tamquam communem omnium Theologorum & Doctorum eam affert, & probat. Nec displicuit S. Bonauenturæ in 4.

dist.11.qui licet debilem asserat esse rationem, non tamen dicit esse malam. Si verò velit Suarez suum dictum æquiualere propositioni vniuersali, est manifestè falsum, vt ex citatis auctoribus patet. Prætereà, quamuis verum sit, quod ipse ait, Christum Dominum non instituisse hoc Sacramentum inter cœnandum cœna vsuali, ac si rem communem ac vulgarem ageret; docent nihilominus omnes Theologi cum D.Thoma in 3.p.quæst.74.a.1.instituisse Christum hoc Sacramentum in pane & vino, quia his communiùs homines reficiuntur; respexit ergo Christus vsum communem:& propterea,cùm nulla ratio obstaret,etiam in aquæ mistione,credendum est,ipsum vsum communem secutum fuisse. Adde,quòd si quis guttam aquæ calici vini pleno infunderet,non propriè diceretur miscere aquam vino: oportet enim inter miscibilia adesse proportionem aliquam; vt inquit Aristoteles lib. 1. de Ortu & intertu cap.vlt.Ergo,cùm omnes Patres dicant, Christum aquam vino miscuisse, hoc non debet tantùm de vna, vel altera gutta intelligi, quia dum proprietatem verborum saluare possumus,non debemus ab ea recedere; alioquin liceret verba Patrū & sacræ Scripturæ ad quoslibet nostros sensus detorquere. quare & Henriquez lib.8.cap.12. in annotationibus ait, *Nec Christus videtur tam parum aqua miscuisse, quin die-*

eretur temperatum. Et Didacus Tapia q. 2. de ucharistia art. 10. *Nec ipse calix*, inquit, *quem ominus benedixit, tam modicâ, vt credo, fuit aquâ mistus.* Quod ergo ait Suarez ad vim huius gumenti vitandam, Patres locutos fuisse de ystica quadam mistione, ita concedendum temur, vt tamen non excludamus veram & storicam mistionem ab ea non dissimilem, ia Christus & reliqui tunc homines commuiter vtebantur.

Dices, Ergo malè agit Ecclesia, quæ modissimam aquam iubet infundi. Respondeo, reissimè hoc ab Ecclesia præcipi. Primò, vt peculū vitet; quod, si magna quantitas aquæ vio infunderetur, adiremus, ne vinum ab ea inceretur, ac proinde non esset apta materia. ecundò, quoniam à multis tam modicum vium solet calici infundi, vt, nisi modicissima sit qua, æqualis futura sit vino, vt alias rationes mittam, de quibus infrà sect. 4. sermo erit: uando tamen determinata fuit proportio auæ ad vinum, dictum est in Concilio Tribuensi cap. 19. vt duæ partes essent vini, tertia erò aquæ. Quod Concilium licèt non fuerit generale, ac proinde non infallibili auctoritate præditum; non est tamē contemnendum: nam eque vnquam reprobatum fuit, & ex eo Graianus multas sententias in Decreta transtulit. Honorius quoque III. cap. *Perniciosus*, de cele-

brat. Miſſarũ. nil aliud dicit, quàm conſuetudinem Eccleſiæ eſſe, vt plus vini quàm aquæ ponatur. Quia tamen aliquando vina, vel debilia ſunt, vel etiam aquã in dolio admiſtã habent, tutius viſum eſt Concilio Florentino non determinare tertiam partẽ, ſed tantùm admonere ſacerdotes, vt modiciſſimã aquam apponant.

Dicunt prætereà Aduerſarij, vinum illud, in quo inſtituit Chriſtus Dominus Euchariſtiam, generoſum fuiſſe, & magnarum virium, quare non mirum potuiſſe breui aquam in ſe conuertere. At, dicam ego, vnde colligunt, vinum illud generoſum fuiſſe? an quia Chriſtus, vel eius Apoſtoli vino pretioſo ac generoſo delectabantur? aſſerere non audebunt. An quia apud Principem diuerterat, qui hoſpitibus ſuis huiuſmodi delicias præberet? diuitem non negauerim hunc hoſpitem Chriſti, quamuis neget S. Ambroſius Lucæ 22. vel potiùs non pauperem; Principem tamen, & huiuſmodi delicias captantem, cùm Chriſti diſcipulus fuerit, nulla ratio cogit nos vt aſſeramus. An quia vina illius regionis generoſa ſunt? probabile eſt aliquot talia eſſe, cùm calida ſit regio; ſed neque certum omnino eſt argumentum, cùm & in calidis regionibus vina aliquando frigida oriantur, vt euenire in Ægypto inquit Macrobius lib. 7. Saturnal. ca. 8. cuius etiam rationem reddit, dicens, *Frigus ima petens, vitium radicibus inuol-*

inuoluitur, & talem dat qualitatem ſucco inde naſcenti, ideo regionis calidæ vina calore caruerunt. Adde, non tantùm ex regionibus, ſed etiam ex natura & qualitate vitium, potentiam vel debilitatem vini oriri. Præterea, Iudæam non fuiſſe vini admodùm feracem, argumento eſt, quia ſicera apud Iudæos in vſu erat, quod nòn niſi ex vini inopia contingere ſolet. Tandem, neque Plinius diligentiſſimus auctor, ſiue cùm Iudæam deſcribit lib. 5. ſiue cùm vina generoſa enumerat lib. 14. ex omnibus terræ partibus prouenientia, vini Iudaici vmquam meminit. quare vinum illud fuiſſe generoſum, eſt omnino incertum, vt proinde non debeamus Theologicam ſententiam tam magni ponderis quãti eſt quam præ manibus habemus, in eo fundare. Addo etiam, vinis generoſis ſæpè difficiliùs aquam commiſceri, eò quòd ſint ſubſtantiæ craſſioris & ſolidioris, quod in vino Cretico, vel ſimilibus facile eſt experiri. Quapropter cuiuſcumque conditionis fuerit vinum à Chriſto in calicis conſecratione adhibitum, eſt probabile, etiam iuxtà illorum ſententiam qui dicunt vinum in ſe aquã vertere poſſe, tam breui tempore naturaliter non potuiſſe in ſe aquam conuertere. Vtcumque ſit, non poterunt nobis Aduerſarij non concedere, dubium eſſe, an aqua tunc in vinum fuerit conuerſa; ex quo ſequitur ſaltem dubium eſſe, an aqua in ſanguinem

nem immediatè conuertatur. Sed si dubium est, cur ipsi indubitanter negant? Sed nimium eis concedimus: ferè enim certum videtur, naturaliter tunc non potuisse aquam in vinum esse transmutatam: neque verisimile est, si aquam in vinum verti ante consecrationem ad Sacramenti dignitatem pertineret, rem tanti momenti voluisse Christum sub dubio nobis relinquere.

Tertium probandum erat, posito, quòd aqua fuisset in calice simul cum vino, quando Christus verba consecrationis protulit, in eius sanguinem fuisse conuersam. quod sanè tam mihi clarum & certum videtur, vt aliquem Catholicum de hoc dubitare posse, vix credam. Nam potuisse Christum aquam in sanguinem conuertere, quis hæreticus, ne dicam Catholicus, inficiari ausit? porrò voluisse, ex gestis & verbis ipsius colligitur. Ex illis, quia voluit, aquam simul esse cum vino tempore consecrationis; si enim in sanguinem conuertenda non erat, vt quid eo tempore simul cum vino mistam & confusam esse voluisset? Sed multò clariùs ex eius verbis hoc colligitur: non enim dixit, Hoc vinum, siue hoc quod videtur vobis esse vinum (quamuis, etsi hoc dixisset, contra nostram sententiam non esset) sed, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine:* calicis autem nomine totum illud quod est in

calice

calice per modum potus, intelligitur: quare etiam Dominus in Euangelio dixit: *Si quis dederit calicem aquæ frigidæ*, &c. Cùm igitur & in hominibus talis præsumatur animus, qualem verba prolata declarant. *l. Labeo.* ff. de supel. legat. & Aristot. 1 Perihermen. dicat, voces esse signa conceptuum, & Cicero in 1. de Legibus affirmet, orationem esse mentis interpretem; & quod maius est, in Sacramentis verba id efficiant, quod significant, & verba consecrationis à Christo prolata significent totum illud quod est in calice esse sanguinem; euidenter sequitur aquam, si qua in calice illo erat (vt valdè probabilissimum est extitisse) & voluisse Christum Dominum in sanguinem suum conuertere, & verè conuertisse: nam vt inquit S. Bernardus hom. 4. super Missus est, *Apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est; nec factum à verbo, quia virtus est; nec modus à facto, quia sapientia est.* Confirmatur, quia eodem prorsus argumento vtitur Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. ad probandum, totam vini substantiam in sanguinem Christi conuerti: inquit enim, *Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit. ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idq́ denuo sancta hac Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi*

Domi-

Domini, *& totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius.* Vbi Nota ex eo, quod Chriſtus dixit indefinitè, *Hoc eſt corpus meum*, colligere & argumentari Conciliũ, totum omnino panem verti in corpus Chriſti: ergo etiam ex eo, quod dixit, *Hic calix*, &c. totum illud quod erat in calice, dicendum eſt, in ſanguinem ſuum vertiſſe.

Confirmatur, quia DD. Iacobus & Marcus, quorum ſententias ſuprà retulimus, affirmant Chriſtum Dominum calicem Spiritu ſancto impleuiſſe; non vtique alia ratione, niſi quia id quod erat in calice, in ſuum ſanguinem tranſmutauit: ſi igitur quidquam remanſit in calice quod eius ſanguis non fuerit, non fuit ille calix Spiritu ſancto plenus, ſed ex parte tantùm.

Debet ergo omnino certum eſſe, nihil aquæ remanſiſſe poſt conſecrationem in calice Domini: atqui non eſt certum, aquam ipſius fuiſſe conuerſam in vinum, quia neque auctoritas, neque ratio id conuincit: ergo cùm certum ab incerto non pendeat, ſiue aqua fuerit conuerſa in vinum, ſiue non, dicendum eſt in ſanguinem tranſſubſtantiatam fuiſſe. Adde, quòd Conciliũ non tantùm argumentatur ex verbis Chriſti, ipſum Dominum totam ſubſtantiam panis vertiſſe in ſanguinem ſuum, ſed etiam id ſemper fieri in conſecratione eiuſdem; ergò idem etiam dicendum erit de calice. quare ſicut

ut certum est, numquam post consecrationem remanere aliquid substantiæ panis, & non remansisse substantiam aquæ in prima huius Sacramenti institutione: ita certum esse debet, in qualibet consecratione nihil aquæ remanere; atqui si aqua non conuertitur immediatè, saltem aliquando, in sanguinem, oportet dicere, aliquando remanere, vt & ipsi Aduersarij fatentur: ergo ne hoc absurdum admittatur, totaque vis argumenti Concilij pereat, dicendum est, aquam, siue versa sit in vinum, siue non, semper verti in sanguinē. Dices, Cur non meminit Concilium hîc aquæ, sed solius vini? Respondeo, quia noluit definire, aquam non conuerti in vinum, cùm hoc ad philosophiam spectet. deinde, quia nomine vini intelligitur etiam aqua ei admista, sed non permanere aquæ substantiam, apertè dixit sess. 13. can. 2. asserens, remanere tantùm post consecrationem species vini. quod falsum esset, si etiam remaneret aquæ substantia.

Denique, etiamsi tunc in calice Christi non extitisset aqua, sed iam conuersa fuisset in vinum, adhuc hoc argumento colligeretur, à sacerdote aquam, si quando non sit conuersa in vinum, immediatè transmutari in sanguinem Christi. Nam sacerdos in hoc Sacramento conficiendo est minister Christi, & agit virtute illius, ita vt omnia illa peragat, quæ per ageret

Chri-

Christus, si adesset præsens. Sed si Christus protulisset verba consecrationis super vinum & aquam, dubium esse non posset, quin ea conuertisset in sanguinem; ergo idem de sacerdote dicendum, cùm non possit obijci, quòd in hoc se gerat sacerdos contra Christi institutionem, quoniam ab ipso Christo ita hoc Sacramentum est institutum, vt moraliter necesse sit aliquando contingere tempore consecrationis, aquam non esse conuersam in vinum. Quare hoc argumentum ex Christi institutione desumptum est omnino magnum, & nostram sententiam efficacissimè probat.

SECTIO IV.

Conciliorum, Canonum & Summorum Pontificum auctoritate eadem sententia probatur.

NON habet quidem Ecclesia potestatem instituendi Sacramenta, neque aliquid circa materiam vel formam ipsorum innouãdi; quia tamen Apostolo Petro data est non tantùm clauis potestatis, sed etiam clauis scientiæ; ad ipsam spectat declarare materiam, formam & ritus, qui in Sacramentis tum conficiendis, tum administrandis obseruari debẽt. Non possumus igitur post Christi institutionem,

nem, firmiori in hac materia argumento niti, quàm Ecclesię auctoritati, quę nobis per Summos Romanos Pontifices, per Canones, & per Concilia ab ipsismet Romanis Pontificibus approbata, innotescit. Ex horum igitur auctoritate nostram sententiam confirmabimus, & à Concilijs generalibus exordiemur, quæ si legitima sint, & à Petri sede approbata, in rebus fidei decernendis non minori auctoritate, quàm Euangelia ipsa, prædita esse meritò existimantur.

Et primò consulamus Concilium Florentinum sub Eugenio IV. Summo Pontifice, in quo diffusè de Sacramentorũ materia & forma agitur. In decreto igitur ipsius Eugenij, quod est in fine Concilij, hæc verba habentur; *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicißima admisceri debet.* Hæc Eugenius. Ex quibus ita argumentor: aqua est pars materiæ Sacramenti Eucharistiæ; ergo vertitur immediatè in sanguinem Christi. Consequẽtia est euidens, probatur antecedens. Quia explicans Pontifex materiam Eucharistiæ, simul cum vino de aqua mentionem facit, quamuis diuersimodè de vino & aqua loquatur, de illo scilicet absolutè asserens esse materiam, quia est materia necessaria; de hac verò, debere apponi, quia non est materia ne-

cessaria, sed debita & congrua tantùm, licet ex præcepto necessariò etiam apponenda. At dicunt Aduersarij, mistionis aquæ meminit Pōtifex tamquam cæremoniæ cuiusdam, quæ in materia obseruari debet, non tamquam materiæ. Verùm hanc non fuisse mentem Pontificis, facilè probatur, quia non intendebat ibi Pontifex explicare cæremonias huius Sacramenti, sed tantùm materiam & formam; cur enim, si cęremonias huius Sacramenti explicare volebat, tot alias prætermisit? cur hanc ipsam perfectè non explicauit, dicens, Cui multò ante consecrationem, & non tantùm ante consecrationem? cur in reliquis Sacramentis materiam tantùm & formam aperuit, nullo addito verbo de ipsorum cęremonijs? cur tractans de materia statim ad cęremonias transit, nullâ distinctione factâ, nec præmonitione adhibitâ, ne quis cùm loqueretur de materia, putaret etiam aquam ad materiam spectare? Concilium certè Tridentinum sess. 14. cap. 3. explicans formam Sacramenti Pœnitentiæ, in illis inquit verbis positam esse, *Ego te absoluo*, &c. *quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quadam*, (nota preces, inquit, vt admoneret non spectare ad formam) *laudabiliter adiunguntur*. Non igitur solent Concilia cæremonias cum partibus essentialibus Sacramentorum confundere, sed distinctè vtrasque tradere: quare & idem Concilium

cilium Florentinum loquens de forma eiusdem Sacramenti Pœnitentiæ, verba illa, quæ tamquam preces ei adiunguntur, omisit; idem facturum de aqua, si ad materiam calicis non spectare, sed tantùm cæremoniæ causa adhiberi credidisset. Cur non dicemus quoque, cùm dixit Pontifex, materiam corporis Christi esse panem triticeum, panem quidem spectare ad materiam, triticeum autem ad cæremonias, si nostro arbitratu licet verba Pontificis diuidere, & alia ad materiam, alia ad cæremonias referre?

Est igitur violenta hæc expositio, & contra mentem Eugenij, qui materiam explicare intendebat, non autem cæremonias. Confirmatur, quia si aqua ita apponatur calici, vt ante consecrationem non sit conuersa in vinum (vt aliquando etiam euenire Aduersarij fatentur) sequitur necessariò, vt supponatur formæ verborum tamquam materia, quia verba formæ significant totum illud quod per modum potus est in calice; ibi autem est aqua, ergo aqua est materia. si ergo voluisset Pontifex à materia aquam excludere, oportuisset eum dicere, Ita admisceatur aqua, vt in vinum conuertatur: quod cùm non dixerit, signum est, habuisse ipsam aquam tamquam materiam ipsius Sacramenti. Quod auctor Catechismi rectè intellexisse videtur: nam explicans materiam ca-

licis inquit, *Est autem vinum ex vitis fructu expressum, cui modicum aquæ permixtum sit.* Quæ verba tam apertè significant aquam ad materiam spectare, vt potiùs ex illis colligi possit, aquam esse materiam necessariam, quàm non esse materiam; nam qui dicit, illud vinum esse materiam calicis, cui modicum aquæ permistum sit, videtur innuere, illud non esse materiam, cui aqua permista non sit. Sicuti si dicerem, Dono tibi vinum in cella mea vinaria existens, cui aqua admista sit; omnes intelligerent, me illud donare velle tantùm, cui admista est aqua. Similiter si dicerem, materiam corporis Christi esse panem qui ex tritico sit confectus, nemo me reprehenderet tamquam malè locutum: omnes enim intelligerent, verba illa, *qui ex tritico sit confectus*, determinare materiam, non verò spectare ad cæremonias. Atqui hæc propositio, vinum cui aqua sit admista, nullo pacto differt, quoad formam enunciationis, ab hac alia propositione, Panis qui ex tritico sit confectus: ergo sicut totum hoc spectat ad materiam, ita etiam totum illud.

Præterea hæc duo, vinum aqua mistum, & vinum cui aqua mista sit, nullo pacto differunt, quia verbum, Sum, es, est, habet tantùm vim copulæ, vt aiunt Dialectici, quare coniungit prædicatum cum subiecto, & nihil præterea facit; & idcirco apud plures Doctores reperies, vinum

vinum aqua mistum esse materiam Eucharistiæ, vt apud Petrum Gregorium in suo Syntagmate Iuris lib. 2. c. 6. & Lælium Zechium c. 2. de Eucharistia; sed neque differunt, quoad modum enunciandi hæc duo, vinum aqua mistum, & panis triticeus: quia totum illud, aqua mistum, munere fungitur vnius adiectiui, quo caret lingua Latina, non tamen Græca, & idcirco Patres Græci, dum dicunt, Christum Dominum vinum aqua mistum consecrasse, eo vtuntur, vt sectione sequ. patebit. Ergo sicut, qui dicit, panem triticeum esse materiam corporis, significat non solum panem, vt sic, sed etiam quatenus triticeus est, esse materiam; ita qui dicit, vinum aqua mistum, siue vinum cui aqua mista sit, significat non solùm vinum, sed etiam vt aqua mistum, esse materiam calicis.

Dices, Si hæc vera sunt, erit igitur mistio aquæ de necessitate Sacramenti, & vinum purum non erit materia sufficiens, sicuti non est panis non triticeus. Respondeo, vinum purum non esse quidem materiam perfectam, & qualem voluit Christus & Ecclesia, esse tamen materiam sufficientem, quare meritò ita loquitur Catechismus, vt videatur excludere à materia, scilicet perfecta, omne aliud vinum, quod non sit mistũ. Neque oportebat minùs clarè ipsum loqui, ne ab Aduersarijs in contrariam partem traheretur. Sed redeamus ad Concilium Flo-

rentinum, quod idem ſenſiſſe probatur rationibus allatis ab Eugenio, cur aqua admiſceri debeat.

Subdit enim Eugenius, *Aqua autem ideo admiſcetur, quoniam iuxta teſtimonia ſanctorum Patrum, & Doctorum Eccleſiæ* (pridem in diſputatione exhibita) *creditur ipſum Dominum in vino aqua permiſto hoc inſtituiſſe Sacramentum*. Nota lector, non dixiſſe Pontificem, aquam à Chriſto fuiſſe vino permiſtam ante inſtitutionem, ſed inſtituiſſe in vino aqua permiſto. quæ verba clariùs ſignificare non poterant, ipſum vinum, vt aqua permiſtum, verè fuiſſe materiam huius Sacramenti: id enim, in quo Sacramentum inſtituitur, eſt verè materia illius, non autem cęremonia: ergo aqua non ad cęremonias, ſed ad materiam ſpectat. Præterea ſubijcit Concilium: *Inquit B. Alexander Papa quintus à B. Petro, In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, panis tantùm & vinum aqua permiſtum in ſacrificium offerantur. Et paulò poſt Iulius Papa citatur dicens: Calix Dominicus iuxta canonum præceptum, vino & aqua permiſtus debet offerri.* Quos Pontifices loqui de materia Euchariſtiæ, patet. Nam & dicunt offerri, & appellant Calicem Domini, quæ non niſi de materia dici poſſunt.

Et ſimili ferè modo loquitur Eccleſia dum Acolythos ordinat, inquit enim, *Accipe vrceolum*

lum ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti. Et in oratione pro iiſdē, *Et ad ſuggerendum vinum & aquam ad conficiendum ſanguinem Chriſti*. Vbi notandum aquam proximiori loco poni, quàm vinum, ante illa verba, *ad conficiendum ſanguinem*; ne diceres aquam conuerti mediante vino, id eſt, ita vt priùs conuertatur in vinum.

Nec eſt prætereundum, in ordinatione Presbyteri tradere illi Epiſcopum calicem cum vino & aqua; ſciunt autem omnes, per traditionem materiæ,& non alterius rei Ordines conferri. Nulla igitur adeſt ratio, cur ſuſpicemur, non ſpectare ipſam aquam ad materiam, ſed ad cæremoniam.

Confirmatur hoc etiam auctoritate doctiſſimi viri Gregorij Hieromonachi,qui Concilio Florentino interfuit, & poſt ipſum Concilium Marco Epheſino pro defenſione ipſius Concilij reſpondens,& calicis materiam explicans, inquit, eam eſſe *vinum & aquam*. Et infrà inquit, *ſemper panem,vinum & aquam tranſmutari in corpus & ſanguinem Chriſti*. ita enim habetur in Græco, quamuis interpres vtrobique,vinum cum aqua traduxerit. non quòd crederet vir eruditiſſimus, aquam non conuerti immediatè in ſanguinem,ſed,vt innueret, vinum eſſe materiam præcipuam, & in maiori quantitate apponendum, vt ipſemet conſultus reſpondit.

Edita est autem hæc epistola nouissimè, & appositа Concilio Florentino in editione generalium Conciliorum Romana, vbi etiam dicitur hic Gregorius fuisse postea Patriarcha, & miraculis coruscasse.

At obiiciunt Aduersarij: Dixit Eugenius modicissimam aquam admisceri debere, ea scilicet ratione, vt possit in vinum conuerti. Respondeo, modicissimam aquam debere apponi, & Concilium Florentinū docuit, & alij quoque Patres; nemo tamen vmquam hanc rationem posuit, vt aqua facilè possit in vinum conuerti: nam si hoc existimassent necessarium, addidissent etiam, Idque fiat multò ante consecrationem, & vinum adhibeatur generosum, vt possit aquam in se conuertere. quæ numquam dixerunt, cùm non possit esse tam modica aqua, quæ sine his cōditionibus in vinū conuertatur.

Cur ergo dixit Concilium modicissimam aquam? quia, vt etiam sectione præced. notauimus, supponebat valdè modicum vinum apponi, vt fieri solet: vt ergo aqua minor esset quàm vinum, addidit modicissimā. Præterea modicissimam dixit, quia hæc sufficit, nec plus tenemur apponere: & hoc est tutius, si vinum sit valdè debile; non tamen prohibita est maior quātitas, dummodo, vt inquit Innocentius li. 4. de Mysterijs Missæ, saporem vini retineat, siue, quod idem est, transeat in vinum moraliter.

Cur

Cur autem aquæ quantitas minor esse debeat quàm vini, Honorius III. cap. *Perniciosus*, de celebrat. Missarum, nullam affert rationem, nisi Ecclesiæ consuetudinem, & ibi Iuris Pontificij interpretes nonnullas quidem alias afferunt rationes, sed nemini in mentem hęc venit, vt scilicet posset in vinum conuerti. Rationes autem quæ afferri solent, sunt hæ. Prima, quia voluit Christus instituere hoc Sacramentum in potu, qui maximè esset in vsu: frequentatissimus autem vsus est, vt vino minor aquæ quãtitas apponatur. Secunda, quia vinum est materia necessaria, aqua nequaquam; est igitur apponenda modica aqua, quia si maior esset eius quantitas, periculum suboriri posset, vel dubium, an vinum corruptum ab aqua fuisset, & consequenter materia esset incerta. Et hanc rationem afferunt multi Doctores simul cum S. Thom. in 3. p. q. 74. art. 8. & habent pro inconuenienti, vinum corrumpi ab aqua; aquam verò remanere non conuersam in vinum, tamquam inconueniens non deducunt, cùm maximè fuisset deducendum, quoniam absurdum existimant, aquam remanere post consecrationem, nisi supposuissent conuerti in sanguinem. Tertia, quia quamuis non sit necesse, vt aqua in vinum conuersa sit substantialiter, debet tamen conuerti accidentaliter, vel moraliter, ita vt non discernatur à vino, & dici possit iuxta

communem modum loquendi illud totum quod est in calice, esse vinum. Quarta, ob rationem à Concilio Triburiensi ca. 19. allatam, quia scilicet, maior est maiestas sanguinis Domini, qui per vinum significatur, quàm fragilitas populi, qui per aquam. Quinta, quia vinum repræsentat sanguinem Christi, aqua verò illam aquam, quæ ex eiusdem latere fluxit; at longè maior fuit quantitas sanguinis quem Christus effudit, quā aquæ ex latere manantis.

At obijciunt nobis Aduersarij: Dixit Eugenius, vinum de vite esse materiam, aqua autem licet mista vino dici possit vinum moraliter, non tamen vinum de Vite; ergo non est materia. Verùm non vident gladio suo se trāsuerberari; nam si in rigore verba illa Eugenij sumenda essent, vinum, quod ex aqua genitum est, non posset esse materia sanguinis, quia non esset vinum de vite, sed de aqua. Præterea, si concedunt aquam vino mistam esse vinum moraliter, quodnam vinum moraliter erit, nisi de vite? vtique qui poculum ex aqua & vino mistum bibit, vinum absolutè se bibisse dicit, & interrogatus quodnam vinum, non dubitabit asserere fuisse vinum de vite.

Secundum Concilium est Tridentinum, in cuius sess. 13. can. 2. hæc verba habentur: *Si quis negauerit mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius sub-*

ſubſtantiæ vini in ſanguinem manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini. anathema ſit. Ex his autem verbis ita argumentor. Manent in calice poſt conſecrationem ſpecies dumtaxat vini, ergo non manet ſubſtantia aquæ, ergo eſt conuerſa in ſanguinem. Dicent fortè, ſupponere Concilium, quòd aqua fuerit ante conſecrationem conuerſa in vinum. At contrà primò, quia aliquando certum eſt, vt diximus, non eſſe conuerſam, vt quando aqua immediatè ante conſecrationem calici infunditur, vt docet faciendum rubrica Miſſalis, ſi antea admiſta non fuit. Si dicas, Concilium loqui de eo quod frequentiùs accidit, non verò de eo quod per accidens; vrgebo, quia eodem modo loquitur Conciliũ de conuerſione vini in ſanguinem, & de ſpeciebus vini dumtaxat permanentibus: ergo ſicut, ſi quis diceret, non ſemper vinum conuerti in ſanguinem Chriſti, hæreticus eſſet; ita neque dici poteſt, quòd illa verba *remanentibus dumtaxat ſpeciebus vini*, non ſemper ſint vera. Præterea, vt verum ſit, aquam in calice poſt conſecrationem non permanere, oportet vt aqua vel ſit in vinum conuerſa, vel in ſanguinem, alterutrum igitur definiuit Concilium; at non eſt probabile, definiuiſſe primum, quia eſt res philoſophica, quas numquam determinat Eccleſia, niſi habeant neceſſariam connexionem cum rebus fidei; quam non habere conuerſio-

nem

nem aquæ in vinum ex eo liquet, quia aliquando non conuerti certum est; neque hinc efficitur non esse perfectum Ecclesiæ Sacramentũ. Alterum ergo definiuit Concilium, scilicet, aquam in sanguinem conuerti.

Secundò, posset quis respondere, Concilium loqui tantùm de vino, non verò de aqua, viniq́ue substantiam excludere, non aquæ; quia intentio Concilij fuit damnare hæreticos Panistas, qui affirmabant simul cum corpore & sanguine Christi permanere substantiam panis & vini. Attamen cùm non ignoraret Concilium, aliquos velle remanere aquæ substantiam, & nihilominus ita loqui voluerit, vt eam quoque excluderet, non parum certè sententiæ neganti fauit. Confirmatur, quia Concilium hoc deducit, vt suprà sect. 3. notauimus ex verbis Christi, at illa non magis comprehendunt vinum quàm aquam, quia nomine calicis quidquid est in calice intelligitur; igitur non solùm de vino, sed etiam de aqua locutum est Concilium. Confirmatur Secundò, quia sub vini nomine ostendit Concilium etiam aquam admistam se intelligere; nam in eadem sess. inquit, *Saluatorem nostrum in vltima cœna post panis & vini benedictionem, corpus suum discipulis & sanguinem tradidisse.* Non benedixisse autem Christum vinum tantùm, sed & aquam cum vino mistam ex his, quæ sect. 3. diximus, constat.

Con-

Concilium igitur nomine *vini* intelligit etiam aquam vino mistam; nam totum hoc mistum ex aqua & vino nomine solius vini appellari solet. Non fecit autem Concilium hîc peculiarem mentionem de aqua, quia de ipsa clarissimum erat testimonium Concilij Florentini; neque modò contra Armenos, qui illam negabant, disputabat, sed contra alios hæreticos; non omisit tamen, sess. 22. vt suprà sect. 3. in principio notauimus. Ex quo liquet, quàm leue sit argumentum Aduersariorum, qui ex eo, quod Concilium asserit remanere dumtaxat species vini, argumẽtantur non remanere species aquæ, & consequenter aquam non conuerti in sanguinem: leue est inquam, quia sub nomine vini intelligitur etiam aqua admista; alioqui si habent pro inconuenienti remanere species aquæ, quomodo pro absurdo non habent, & substantiam remanere, & ipsas species aquæ? Immò quomodo affirmant etiam post corruptionẽ aquæ remanere vinum affectum qualitatibus aquæ, quas proinde post consecrationem superesse necesse est, si omninò species dumtaxat vini strictim sumpti Concilium remanere docet?

Prætereà can. 3. eiusdem sess. dicitur: *Si quis negauerit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub vnaquaque specie, & sub singulis speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, anathe-*

ma

ma sit. Ex quo ita argumentor; totum illud quod est in calice post consecrationē per modum potus, censetur species sanguinis Domini: propterea enim si quælibet gutta effundatur, ea diligentia adhibetur circa eam, quæ sanguinem Domini decet. At si aqua non conuerteretur in sanguinem, essent sub illis speciebus plures guttæ, quæ non continerent sanguinem Domini: ergo malè crederet Ecclesia sub singulis cuiusque speciei partibus totum Christum contineri. Confirmatur, quia si post consecrationem aqua conuertatur in vinum, vt aliquādo euenire non eunt inficias Aduersarij, non solùm cum vini speciebus, sed etiam sub ipsis speciebus vini contineretur alia substantia à substantia Christi. quod est omninò alienum à sensu Ecclesiæ; quare & cap. 4. supradictæ sess. dicitur à Concilio Tridentino conuersionem fieri totius vini in substantiam sanguinis.

Duobus Concilijs generalibus addamus duos Summos Pontifices, Iulium Primum, & Innocentium III. ille scribens Episcopis per Ægyptum, hæc habet verba, quæ referuntur à Gratiano 2. de Consecrat. cap. *Cùm omne*: *Qua copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, vt mistio illa non possit separari: nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: ergo quando botrus solus offertur,*

tur, in quo vini tantùm efficientia designatur, Sacramentum nostra salutis negligitur, quod per aquam designatur. Hæc Iulius. Hinc autem primò habemus, vinum & aquam debere offerri, id est consecrari. ita enim solent Patres hoc verbo vti, vt etiam fatetur Suarez disp. 45. sect. 4. At si aqua in vinum semper conuerteretur, iam solùm vinum offerretur. Secundò, additur, *Quæ copulatio & coniunctio sic misceatur, vt non possit separari.* Vbi nota appellari copulationem & coniunctionem aquæ mistionem cum vino, ad quod sufficit, vt sit mista vino: non autem requiritur, vt corrumpatur, imò ineptè diceretur aqua non posse separari à vino, si non supponeretur adesse. quod enim non existit, frustra dicitur separari non posse.

Verùm ex hoc eodem capite duo nobis obijciunt Aduersarij: alterum est, Iulium Pontificem dicere, *Manifestum & euidens Euangelicæ veritatis exemplum illuxit, quòd præter panem & vinum aliud offerri non licet*. Dicunt enim, si aliud quàm panis & vinum offerre non licet, ergo neque aqua. Rectè omninò, si aliud sit aqua à vino: nam si admisceatur vino, iam efficit vnum quid cum ipso vino, & sub nomine vini comprehenditur: alioqui enim Iulius nimis apertè sibi contra dixisset, cùm paulò pòst dicat in eodem cap. aquam & vinum offerenda. Meliùs ex hoc loco colligimus, nos nihil nobis officere,

ficere, si quando Concilia, vel Patres solius vini meminerunt, quia ex hoc capite constat, etiam cùm additur vino particula exclusiua, non tamen aquam debere excludi.

Alterum, quod obijciunt, sunt illa verba: *Vt mistio illa non possit separari*, si enim, inquiunt, mistio facta esset tantùm per iuxta positionē, tunc, vt experimenta probāt, separari possent. Respondeo, numquam somniasse Pontificem, per hæc verba excludere separationem, quæ per aliquod artificium fieri posset: non enim cum physicis erat illi negotium, sed voluisse tantùm docere, vt verè miscerentur in eodem calice, ita vt communi modo separari non possent, ne quis crederet sufficere, si aquæ botrus immergeretur. Nam isti, ad quos scribit Pontifex, botrum offerebant: & hanc fuisse mentem Pontificis, colligitur ex ipsius ratione. sequitur enim immediatè, *Nam si vinum tantùm quis offerat*, &c. qua ratione ostendit Pontifex, idcirco nolle se aquam à vino separari, ne quis vnum sine altero offerat: loquitur ergo de separatione, quæ in ipso altari fieri commodè posset, non de ea quæ à physicis per artificium. Adde, quòd tunc tantùm per Aduersarios aqua separari non potest, quando est in vinum conuersa; at non semper est conuersa, vt ipsi concedunt, & tamen Pontifex inquit ita permiscendam aquam, vt non possit separari. & ratio-

rationem addit,quia alioqui Christus esset sine nobis;ergo vel quando aqua non est in vinum conuersa, sequitur absurdū, quod infert Pontifex: vel de illa separatione non est locutus; quæ per conuersionem aquæ in vinum solummodò excluditur; quod multo potiùs est dicendum. Vel denique non posse separari dixit, idest, non nisi difficulter posse: sæpiùs enim hoc modo loquendi vtimur, sicut etiam intellexit Glossa, de celebrat. Missar. cap. *Cùm Martha*, super illa verba, *licet physici contrarium asserant*.

Sed iam ad Innocentium accedamus, de quo magna nobis est cùm Aduersarijs controuersia, cùm illi totum sibi vendicent, nos verò sententiæ nostræ suffragari existimemus. Vt igitur lector eius mentem meliùs percipere possit, totum eius textum hîc describemus: est autem sequens, de celebrat. Missarum cap. *Cùm Martha*.

Quæsiuisti etiam, vtrùm aqua cum vino in sanguinem conuertatur: super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur; aliquibus enim videtur, quòd cùm de latere Christi duo præcipua fluxerint Sacramenta, redemptionis in sanguine, at regenerationis in aqua, in illa duo vinum & aqua, quæ commiscentur in calice, diuina virtute mutantur, vt in hoc Sacramento plenè sit veritas & figura. Alij verò tenent, quòd aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cùm in vinum transeat mista vino, licèt physici contrarium asseuerent, qui aquam à vino

E per

per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici, quòd aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ita quòd vini saporem assumit. quod indè conuincitur, quia si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commistum, corpori, quod sub eis latet, vndique circumfunditur, non madidans circumfusum; ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur afficere, quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. Contingit igitur accidentia mutare subiectum, sicut & subiectum contingit accidentia permutare: cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. sed nec inconueniens creditur, aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur, cùm legatur de ipsius latere processisse. Et infrà: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, vt expreßius eluceat proprietas Sacramenti: nam cùm aquæ multæ sint populi multi, iuxta quod alibi legitur, Beati qui seminatis super aquas; ideo vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur,* &c.

Præcipua autem controuersia est circa illa verba: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari.* Hîc enim, dicunt Aduersarij, præfert Innocentius reliquis secundam opinio-

pinionem relatam, sed illa opinio volebat aquam transmutari in vinum, ac deinde in sanguinem: ergo id etiam ipse approbat, & consequenter, si in vinum mutata non sit, neque poterit in sanguinem verti.

Nos è contra censemus, Innocentium illis verbis nostram tantùm sententiam approbasse: quod & ex Innocentij contextu, & ex aliorum auctoritate comprobabimus. Ex contextu probatur multipliciter. Primò, quia absolutè asserit, aquam & vinum in sanguinem transmutari; si autem voluisset aquam necessariò priùs conuertendam in vinum, numquid tam infans Innocentius fuisset, vt hoc dicere nesciisset? vel verbis ei fuit potiùs parcendum, quàm vitandum periculum, ne perfectè intelligeretur? Omisit igitur illam partem, quia approbare tamquam necessariam eam noluit. Præterea, qui aliquam opinionem amplectitur, non sequitur, vt etiam eius rationem approbet: sæpè enim eamdem opinionem plures sequuntur, sed propter diuersas rationes. Secundam ergo opinionem approbauit Innocentius, quæ erat, aquam transubstantiari in sanguinem; quod adiiciebatur, *Cùm in vinum transeat mista vino*, erat ratio illius sententiæ, non pars. hoc enim ostendit & particula (*cùm*) quæ rationem reddit, & ordo dictorum, quia cùm priùs sit aquam in vinum verti, quàm in sanguinem, posterior

tamen loco ponitur, tamquam ratio præcedentis. Cùm igitur ſint duo diuerſa, non ſequitur, vt approbet etiam rationem, qui approbat ſententiam; immò cùm ſententiæ tantùm meminerit Innocentius, ſignum eſt noluiſſe probare rationem.

Confirmatur, quia rationem iam ipſe Innocentius incertam reddiderat argumento phyſicorum: non fuiſſe autem mentem Innocentij reprobare opinionem phyſicorum, probatur Primò, quia numquam conſueuit Eccleſia determinare res phyſicas, niſi tantam prorſus cõnexionem habeant cum rebus fidei, vt hæ ſine illis defendi nequaquam poſſint; quod huic non contingit: multò autem minus, quando experimenta ſunt contraria, & auctoritates Doctorum. Secundò, quia quando paulò infrà non recipit dictum philoſophicum, quòd accidentia non mutent ſubiectum, reddit rationem, *Cedit quippe*, inquit, *natura miraculo, & virtus ſupra conſuetudinem operatur*: ergo cùm ipſos non refellit, credendum eſt, ipſorum dicta approbare. Tertiò, poſt relatam ſententiam phyſicorum ſtatim ſubdit Innocentius: *Præterea dici poteſt, quòd aqua non tranſit in ſanguinem, ſed remanet*. Quod vtique dici non poteſt, niſi ſuppoſitâ ſententiâ phyſicorum, quòd in vinum aqua non tranſeat: ergo eam non reiecit Innocentius, ſed approbauit, cùm diſſe-

rat,

rat, quid posita ea dici possit.

Dices, Atqui videtur hanc sententiam physicorum reprobare Innocentius lib.4. de Mysterijs Missæ cap.30. vbi huic eidem quæstioni respondens dicit: *Quibusdam non absurdum videtur, quòd aqua cum vino transit in sanguinem, ea videlicet ratione, quòd aqua per admistionem transit in vinum, & vinum per consecrationem transit in sanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum infunditur aqua?* Resp. Videri posse mirum, quòd hîc dicat Innocentius, *quis ambigat*, cùm alibi non solùm ambigere, sed etiam contrarium asserere doceat physicos. Fortassis igitur quod priùs dixerat priuatus Doctor, *Quis ambigat*, correxit Pontifex. Vel cùm dixit, *Quis ambigat*, locutus est de transitu quodam morali, de quo nemo certè ambigit. Vel denique vno loco locutus est de modicissima aqua multo vino infusa, altero verò, de mistione in qua non multùm excedatur aqua à vino. Vtcumque sit, hinc aliud deduco pro nostra sententia argumentũ: Non semper in sacrificio Missæ vertitur aqua in vinum ex Innocētij mente, at semper simul cum vino vertitur in sanguinem: ergo siue versa sit in vinum, siue non, in sanguinem vertitur. Maior probatur, quia tunc tantùm vult Innocentius verti aquam in vinum, cùm multo vino modicum infunditur aquæ: igitur cùm mul-

tum infunditur, non conuertitur, quare & Estius, qui nostræ sententiæ maximè aduersatur, inquit, *Transitum aquæ in vinum eo sermone confirmare voluit* (Innocentius) *vt possibilem, & contingentem, non autem vt necessarium, aut vniuersalem*. Quòd verò velit semper aquam cum vino in sanguinem verti, probatur ex ipsius conclusione, quoniam absolutè & simpliciter dixit, aquam cum vino in sanguinem verti, & absolutè negauit aquam remanere, ergo non debemus nos eius dicta coarctare. Sciebat enim Innocentius dicere, si voluisset, aquam transire in sanguinem, si priùs transierit in vinum, noluit tamen hanc conditionem apponere; ergo eius conclusio, quòd aqua in sanguinem transeat, absolutè, & non conditionatè est intelligenda. quod clariùs patet ex libro citato de Mysterijs Missæ, vbi inconueniens existimat, aquam remanere simul cum sanguine, sicuti habuerunt deinde omnes ferè Theologi. Confirmatur etiam, quia quærens deinde, *Quid si plus apponatur aquæ quàm vini, erit irritum Sacramentum?* Respondet, *Oportet quidem, quòd tantùm vini ibi ponatur, vt aqua commistum saporem vini retineat*. hoc autem quid aliud est, quàm aquam esse conuersam in vinum moraliter, siue accidentaliter? hoc igitur existimat sufficere, vt Sacramentem irritum non sit, & aqua vertatur in sanguinem; sicuti & cap. *Perniciosus*. de

de celebrat. Missarum, nil ampliùs requirit Honorius III. qui proximè ei successit, quàm, vt in calice plus vini quàm aquæ ponatur: atqui si credidisset, aquam non conuerti in sanguinem, nisi antea conuersa sit in vinum, cùm pro absurdo habeat aquam in sua substantia remanere simul cum sanguine, monuisset vtique, vt tam parum aquę apponeretur, quę posset commodè in vinum ante consecrationem verti.

Dices: Non meminit Innocentius huius sententiæ, quæ affirmat, aquam, siue conuersa sit in vinum, siue non, semper verti in sanguinem, quomodo ergo eam approbare potuit? Resp. quo ad conclusionem eamdem esse hanc nostram sententiam cum secunda ibi ab Innocentio allata, quamuis ab ea differat in ratione cõclusionis; non igitur opus fuit, vt Innocentius eam tamquam ab alijs diuersam referret, præcipuè cùm rationem ab alijs allatam ipse refutasset physicorum auctoritate: si enim à secunda sententia illam rationem auferas, ne hilum quidem discrepabit à nostra.

Præterea, ignorare non potuit Innocentius multorum sententiam esse, aquam in vinum non transmutari, & tamen in sanguinem verti. Nam ante annos 24. iam apud Gallos percrebuerat hæc sententia, & de ea Gaufredus Romam scripserat, vt refert Cardinalis Baronius anno Domini 1188. cùm Innocentius floruerit

anno Domini 1212.& illi ipsi, ad quos scribebat Innocentius, supponebant aquam non conuerti in vinum,& ambigebatur, an conuerteretur immediatè in sanguinem: inquit enim Innocentius, *Quæsiuisti etiam, vtrùm aqua cum vino in sanguinem conuertatur*; si enim supposuissent aquam in vinum verti, dubium esse non poterat in sanguinem transmutari. Cùm igitur sciret Innocentius, hanc multorum esse sententiam, & de ea præcipuè quæri, non potuit eam omittere. Si autem non omisit, non aliàs retulit, quàm cùm dixit, aquam cum vino transubstantiari in sanguinem. quod & approbauit. Confirmatur etiam, quia responsio debet esse ad mentem interrogàtis: qui autem interrogauerat, supponebat, vt diximus, aquam non verti in vinum, & quærebat an verteretur in sanguinem; cùm ergo Innocentius respondet verti in sanguinem, loquitur & ipse, facta eadem suppositione, quòd aqua non vertatur in vinũ.

Probatur præterea idem auctoritate multorum Doctorum, qui ita vt diximus, intellexerũt Innocentium. Antonius de Butrio super hunc textum, *Nota*, inquit, *credendum esse physicis in arte sua, & quibuslibet etiam peritis.* quod & ipsum docent Iura Ciuilia l. 1. in principio, ff. de inspiciendo ventre. & l. 7. ff. de statu hominis: sentit ergo Butrius, Innocentium non contradicere physicis, sed illos approbare; alioqui

qui dicendum fuisset, *Nota, non credendum physicis in arte sua*. & meritò hoc sentit, quia cùm doctissimus esset Innocentius, non est credibile, vel ignorasse hanc regulam Iuris, scilicet peritis in arte sua credendum esse, vel illam contempsisse nulla addita ratione. Idem etiam Antonius de Butrio ibidem, *Quæro*, inquit, *an sit alia opinio præter dictas*; & respondet, *Dicit hic Ostiensis, quod aliqui dicunt, quòd aqua non transit in sanguinem, sed absorbetur omninò à specie vini cum quo miscetur, ita quòd desinit esse aqua, & omninò mutatur species, adeò quòd non remanent nisi species prioris vini. Et hoc*, subdit Butrius, *posset esse verum secundùm Ostiensem, quando apponitur aqua cum vino ante consecrationem*. & idem omnino dicit etiam Ioan. Andreas eodem loco. Vide igitur, quæso, quomodo opinionem Aduersariorum, qui volunt aquam substantialiter conuerti in vinum, recenseant hi auctores, tamquam penitus diuersam ab ea quam approbat Innocentius. Nota prætereà, quomodo Iuris periti, quando significare volunt, aquam substantialiter in vinum conuerti, clarè hoc explicent, dicentes, *Ita vt non remaneat aqua*, &c. quia videlicet, quando dicitur aqua transire in vinum, existimant intelligi posse de quodam transitu ratione accidentium, & iuxta communem loquendi consuetudinem.

Præterea Ostiensis, quem Zabarella & Ioannes

annes Andreas sequuntur, Innocentium exponens, inquit, *Vinum & aqua simul transubstantiantur in sanguinem secundùm Innocentium: intelligas tamen, quòd aqua non transubstantiatur per se, sed tantùm, inquantum est mista vino, nisi autem hoc dictum exponeres, error esset.* Hæc illi, in quibus duo notanda sunt. Alterum est, hos Doctores nihil aliud requirere ad mentem Innocentij, vt aqua vertatur in sanguinem, quàm vt sit mista vino; ergo non oportet, vt conuertatur in vinum secundùm Innocentium. Alterum, neque hoc ipsum dicere Innocentiũ, sed ab his auctoribus afferri tamquam expositionem, non tamquam ipsius dictum tam longè abest, vt crediderint, Innocentium clarè asserere, aquam debere in vinum substantialiter conuerti, ad hoc; vt vertatur in sanguinem.

Eadem quoque videtur esse sententia Innocentij IV. Abbatis, & aliorũ, qui simpliciter dicunt vinum, & aquam simul in sanguinẽ transsubstantiari, nulla facta mentione de transmutatione aquæ in vinum. Glossa quoque, si rectè consideretur, sentit nobiscum, nam ait, *Cum vino, idest vinum aquaticum; non enim transeunt duo in sanguinem, sed vinum, quod sibi aquam incorporauit. & ita expone, aquam cum vino, id est, compactum, vel compositum ex eis.* Verùm, si aqua conuertitur in vinum, non potest dici, quòd aliquid cõponatur ex aqua & vino, sicut ex lignis

lignis & igne non componitur aliquod tertium, ergo loquitur Glossa de incorporatione & vnione accidentali. Nota etiam, verba illa Innocentij, *Cùm in vinum transeat*, non intelligi à Glossa de transitione substantiali, sed de accidentali: nam ipsa exponens inquit physicos contrarium dicere, scilicet, *Quòd aqua & vinum non miscentur per minima, idest non ita, quòd inseparabilis sit, sed talis separatio impossibilis vel difficilis videtur.* hæc Glossa. Quæ si verba Innocentij de transitu substantiali accepisset, dixisset vtique contrarium dicere physicos, quòd scilicet aqua non fiat vinum, vel quid simile: ergo, cùm affirmat physicos negare tantùm mistionem per minima, & in hoc esse cõtrarios secundæ opinioni; sentit vtique secundam opinionem asserere tantùm, quòd vino per minima misceatur aqua, non verò quòd fiat substantialiter vinum.

Denique hoc idem probat titulus huius §. qui, vt ait sæpiùs S. Augustinus in Psalmos, dicendorum solet esse clauis, in eo enim hæc habentur: *In Sacramento altaris aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem*, nulla mentione facta de conuersione aquæ in vinum; quando autem textus est ambiguus, & rubrica clara, textus per rubricam declarari debet, vt scribit gloss. in l. 1. & ibi Bartol. C. de capitat. ciuium cens. exim. l. 1. & in l. 1. C. ne liceat, vt Alciatus

in

Alfonſus quoque Salmeron, qui Concilio Trident. interfuit, pietate & doctrina inſignis tractat. 14. de vita Chriſti, *Innocentius*, inquit, *probabilem docet illam opinionem eſſe, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari. quæ ſententia poteſt conſiſtere, etiam eo dato, quod phyſici dicunt, aquam vino miſtam non conuerti in vinum.*

Didacus Tapia in 3. p. q. 2. de Euchariſt. ab ijſdem non recedit, dicens, *Aliqui docti phyſici aſſeuerant, aquam, licet modica ſit, non conuerti in vinum. & mihi quidem id videtur non omnino improbabile, ac proinde Innocentius III. noluit in hac parte definire quid dicendum ſit.*

Chriſtophorus Gillius recentiſſimus quidem, minimè tamen contemnendus auctor tract. de Locis Theolog. cap. 7. idem docet, inquit enim Innocentium elegiſſe tamquam magis probabilem ſententiam, quæ affirmat in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento aquam ſimul cum vino conuerti in ſanguinem Chriſti, nullâ omnino de conuerſione eius in vinum factâ mentione. Sentit igitur illud tantùm approbaſſe Pontificem, non autem hoc: alioqui enim nimis imperfectam & mutilam retuliſſet Innocentij ſententiam; ſed cap. ſequenti, n. 6. apertiùs id ipſum teſtatur: inquit enim, eos qui tenent conuerſionem aquæ in vinum non fieri ante conſecrationem, non cogi quidem

ſanguinem, non quia conuertitur in vinum, ſed quia per verba cæleſtia conſecratur. Et quamuis Eſtius affirmet hoc teſtimonium in libris S. Auguſtini de Baptiſmo non reperiri; non tamen eſt contemnendum, quia quæ ab antiquis auctoribus citantur, pro veris haberi ſolent, etiamſi non reperiantur, cùm fortaſſis temporis iniuria perierint, nec facilè credendum ſit, graues illos auctores mentitos fuiſſe, ſed potiùs memoria lapſos in loco notando. Idem etiam in Sermone ad infantes, cuius fragmentum recitat Beda in cap. 10. prioris ad Corinth. *Calix*, inquit, *vel quod habet calix, eſt ſanguis eius*: non dixit vinum, ſed Quod habet calix: ergo ſi in calice ſit vinum & aqua, vtrumque conuertetur in ſanguinem.

Idem D. Auguſtinus 3. de Trinitate cap. 2. ait de latere Domini percuſſo illum fluxiſſe liquorem, qui eſt in calice. Quibus verbis, vt exponit Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Euchariſt. cap. 10. ſignificatur in calice eſſe verum Domini ſanguinem, & eſſe eo modo, quo ex latere fluxit quoad repræſentationem, ſcilicet quoad aquam & vinum. Sicut ergo ſub ſpeciebus vini adeſt ſanguis Chriſti, ita etiam ſub ſpeciebus aquæ. Tractatu quoque 120. in Ioannem eidem ſententiæ fauet.

Liturgia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ auctore Ioanne Chryſoſtomo, *Quod*, inquit, *eſt in*

calice isto (vinum ſcilicet & aqua) *in pretioſum ſanguinem Chriſti filij tui transmutans Spiritu ſancto tuo.*

Proclus Conſtãtinopolitanus de traditione diuinæ liturgiæ: *Vt eius diuina præſentia propoſitum in ſacrificium panem, & vinum aquæ permiſtum, ipſum illud corpus, & ſanguinem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti efficiat.*

S.Gregorius Magnus, vt refert Paulus Diaconus in eius Vita, poſt patratum miraculum, quo mulier dubitãs de veritate præſentiæ Domini in Euchariſtia confirmata eſt, hæc etiam inter alia dixit: *Præſcius conditor noſtræ infirmitatis panem & vinum aqua miſtum manente propria ſpecie in carnem & ſanguinem ſuum ad catholicam precem ob reparationem noſtram Spiritus ſui ſanctificatione conuertit.*

S.Hieronymus, ſiue, vt alij volunt, Beda in cap.14. Marci, *Formans,* inquit de Chriſto loquens, *ſanguinem ſuum in calice vino & aqua miſtu, vt alio purgemur à culpis, alio redimamur à pœnis; ſanguine namque agni ſeruatur domus à percuſſione Angeli, & aqua maris rubri extinguuntur inimici. quæ ſunt myſteria Eccleſiæ Chriſti.* Quæ verba S.Anſelmus Cant. Epiſc. in ſuum comment. in c.26. Matth. tranſtulit.

S.Cyprianus epiſt. 66. ad Cæcilium multis contendit, vt etiam fatetur Suarez diſp. 45. ſect.4. Calicem Domini non eſſe vinum ſolum, neque

neque aquam ſolam, ſed vtrumque miſtum,& hoc eſſe, quod ſanctificatur, id eſt, in ſanguinem vertitur: ſi autem aqua non conuerteretur in ſanguinem, non vtique ſanctificaretur.

S. Ioan. Damaſcenus lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 14. *Quid tandem*, inquit, *afferri poteſt, quin ex pane corpus, ex vino & aqua ſanguinem ſuum efficere queat?* Et infrà: *Panis, ac vinum & aqua per ſancti Spiritus inuocationem, & aduentum mirabili modo in Chriſti corpus & ſanguinem vertuntur.* Vbi cùm nullum ponat diſcrimen inter panem, vinum & aquam, planè colligitur eodem modo velle conuerti aquam immediatè, ſicuti & alia duo immediatè conuertuntur.

S. Iuſtinus Martyr, martyrio coronatus anno Domini 150. in Apologia ad Antoninum Pium prope finē, loquens de Euchariſtiæ diſtributione, hæc habet verba, quæ etiam recitat Caniſius in Catechiſmo: *Diſtribuunt vnicuique præſentium, vt participet eum, in quo gratia acta ſunt, panem, vinum & aquam, & ad abſentes perferant. Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia.* Appellat autem Euchariſtiam panem, vinū, & aquam, non quia hæc ibi ſunt, ſed quia apparent, & ex ipſis tamquam ex materia remota eſt Euchariſtia confecta. Porrò ſi aqua in ſanguinem non verteretur, numquam D. Iuſtinus eam appellaret Euchariſtiam.

S. Irenæus lib. 4. cap. 57. de Chriſto loquens,

Temperamentum, ait, *calicis suum sanguinem confirmauit*. Et lib. 5. c. 2. *Quando mistus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis, & corporis Christi*. Vocat mistum calicem, quia supponit adesse vinum & aquam, & hunc dicit fieri Eucharistiam, quia videlicet sentit non solùm vinum, sed etiam aquam verti in sanguinem Christi.

Theodoretus dialog. 1. in mysteriorum traditione, *Deus corpus appellauit, & sanguinem id quod in calice infusum & commistum est.*

Nicolaus Metonensis orat. de Eucharistia: *Quid requiris causam, & ordinem naturæ? panis transmutationem in Christi corpus, & aquæ viníque in sanguinem?*

Gennadius Scholarius de sacrificio in azymo sect. 4. *Domini verba*, inquit, *quæ panem & vinum cum aqua in corpus & sanguinem eius transmutant.*

Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus responsione 2. cap. 4. de vsu Sacramentorum; *Panis fit corpus Christi, & vinum & aqua sanguis Christi superuentu Spiritus sancti.*

Amalarius Treuirensis de Officiis Eccles. li. 3. cap. 24. *Hîc credimus naturam simplicem panis & vini misti verti in naturam rationabilem, scilicet corporis & sanguinis Domini.*

Paschasius Abbas, qui floruit anno Domini 805. vir, vt ait Trithemius, in diuinis Scriptu-

ris

ris valdè eruditus, & sæcularium litterarum non ignarus, Græco & Latino nobiliter instructus eloquio, in libro, quem edidit de Corpore & sanguine Domini, & habetur tom. 6. Biblioth. veterum Patrum, ita cap. 11. hac de re loquitur: *Quam bene in hoc mysterio nostra figura per aquam admittitur, vt vnusquisque in illo Christi sanguine susceptum se intelligat, & in melius transmutatum: vnde licet priùs mysticè vinum & aqua commisceantur, post consecrationem tamen non nisi sanguis bibitur.* Et paulò pòst: *Aqua consecratur, non quòd aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem,* quo testimonio nihil clarius afferri posse videtur pro nostra sententia.

B. Samona Gazæ Archiepiscopus in disceptatione cum Saraceno, quæ habetur tom. 6. Biblioth. veterum Patrum, huic veritati suffragatur, dicens: *Sed quare Christus sub specie panis, vini & aquæ abditum suum corpus, & sanguinem assumendum potiùs tradidit, quàm sub alia materia?* Et paulò infrà: *His igitur pane, inquam, vino & aqua nobis assuefactis Dominus coniuncta sua diuinitate, virtute sui verbi, quâ omnia, vt essent, ex nihilo produxit, in proprium suum corpus & sanguinem ea transfert.* Est autem tam clarum hoc testimonium, vt plus etiam, quàm velimus, probare videatur, videlicet, aquam etiam à vino separatam, esse posse materiam sanguinis: hoc enim indicare videntur illa verba, *sub specie a-*

quæ, quasi non solùm quando aqua est ita à vino absorpta, vt moraliter sub nomine vini comprehendatur, possit esse materia sanguinis, vt nos volumus, sed etiam quando ipsiusmet aquæ species, vt solius aquæ euidenter apparent. quapropter apposita ei fuit in margine glossula, qua admonetur lector intelligendum esse Samonam de aqua in vinum conuersa, scilicet moraliter: non enim aliud ea adnotatiuncula indicari, ex eo euidenter colligitur, quòd Algero & Paschasio, qui in eodem tomo ante Samonam leguntur, nec minùs clarè aquam in sanguinem verti asserunt, nulla glossa apposita fuit, quia videlicet supponunt illi, aquam vino esse mistam. quod non apparet in Samona.

Hildebertus Cenomanensis, & deinde Turonensis Episcopus, cuius opera tom.3 Bibliot. veterum Patrum habentur, *Aqua*, inquit, *in sanguinem vertitur, vt populus, qui per aquam figuratur, in melius se mutatum intelligat.*

Algerus, quem doctissimè scripsisse de Sacramento Altaris testatur Antonius Posseuinus in suo Apparatu, qui & claruit circa annum Domini 1050. *Sed licet*, inquit, *in mensa Domini tria constituantur munera, sunt tamen duo, per quæ sanctificamur; est aqua mista priùs vino, sed quando sacratur, non nisi sanguis erit, quo anima intus alatur.* Atqui si aqua remaneret post consecra-

tio-

tionem, non adeſſet tantùm ſanguis, vt ait Algerus.

Hildegardis epiſt. ad Moguntinenſes, *In eadem virtute altiſsimi Dei oblatio panis cum vino & aqua in carnem & ſanguinem Saluatoris*, &c.

Gemma animæ, cuius auctor creditur Honorius Auguſtodunēſis, qui floruit anno 1120. cap. 27. *Ideò verò hoc Sacramentum de vino fit*, &c. & cap. 28. *Ideò autem hoc Sacramentum de aqua fit*, &c.

Petrus Bleſenſis D. Bernardi contemporaneus, & ſuo æuo, & doctrina & ſanctitate celeberrimus, in tractatu de SS. Euchariſtia, quem verſibus edidit, eamdem approbat ſententiam. ſic enim canit:

Sed licet in menſâ Domini tria conſtituantur
Munera: ſunt tamen duo, poſtquam ſacrificantur.
Eſt aqua miſta prius, ſed vino quando ſacratur,
Non niſi ſanguis erit, quo ſpiritus intus alatur,
Myſtica res dat aquā, Chriſti cruor ebibit illam.

Quibus in verbis ea præcipuè ſunt notanda, *Chriſti cruor ebibit illam*: ſi enim Chriſti ſanguis ebibit aquam, ergo non priùs erat aqua in vinum verſa, ſed immediatè in ſanguinem tranſmutatur.

Quod planè vidit Ioannes Buſæus ex Societate Iesv, cuius operâ & ſtudio Bleſenſis lucem nunc aſpicit. nam argumentum huic capiti præfigens hæc habet verba: *Licet vinum &*

aqua ante consecrationem in altari typicè misceantur, pòst non nisi sanguis bibitur, quia in sanguinem demutatur aqua. cumque hic auctor in præfat. ad lectorem professus fuisset, se notas quasdam Blesensi apposuisse, vt dogmata quædam ipsius Blesensis, quæ licèt Catholicæ fidei non aduersentur, tamen non satis cum doctrina hoc tempore in Ecclesia magis probata & recepta conspirant, indicaret; huic capiti nullam subtexuit notam, sentiens eius doctrinam ab ea, quam Ecclesia magis probat & recipit, non discedere.

S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, cùm docuisset vinum & aquam in calice apponi, explicans deinde verba consecrationis, inquit; *Signantur autem diuina dona, vt aduentus, & gloriosa sancti Spiritus præsentia, ex pane quidem ipsum pretiosum corpus Domini nostri Iesu Christi, ex eo autem, quod est in calice, ipsum pretiosum sanguinem*, &c. Noluit dicere ex vino, sed ex eo quod erat in calice: quia sciebat etiam adesse aquã, vt ipse paulò superiùs asseruerat.

Odo Cameracensis Episcopus Canonem exponens super illa verba; *Accipiens & hunc præclarum calicem, Metaphoricè*, inquit, *id quod continet, pro eo quod continetur, id est vas pro liquore vini & aquæ*. Exponit deinde verbum illud, *Benedixit, id est, sanguinem suum fecit*. quare & supponit,

ponit, aquam tempore cōſecrationis in vinum non eſſe conuerſam, & ſub nomine calicis intelligi, & tandem ſanguinem fieri.

Rabanus de Inſtitutione clericorū li.1.c.31. *Nec in Sacramentis aliud offerri licet, niſi quod Dominus ipſe inſtituit, & ſuo exemplo nos facere docuit.* Et paulò pòſt infrà: *Ergo panem infermentatum, & vinum aqua miſtum in Sacramentum corporis & ſanguinis Domini ſanctificari oportet.* Si aqua autem non conuerteretur in ſanguinem, non poſſet dici ſanctificari in Sacramentum ſanguinis Domini.

Denique Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus, qui ſub nomine Euſebij falsò circumfertur in ſerm. 5. de Paſchate docet Chriſtum ipſum exemplo ſuo nos docuiſſe, vt calicem ex vino aqua miſto conſecraremus.

Ex his igitur ſatis apparet, plurimos & grauiſſimos Patres hanc noſtram ſententiam docuiſſe. At quomodo oſtendemus neminem docuiſſe contrarium? Primò, quia nemo ab Aduerſarijs, qui hoc doceat, adduci potuit, & Suarez diligentiſſimus, & plurimę lectionis auctor eum non prætermiſiſſet, ſi quis foret, qui vel leuiter inſinuaret: à quibuſdam alijs autem licèt citentur S. Cyprianus, S. Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, & Rabanus; hos tamen in reſponſionibus argumentorum oſtendemus, non eſſe contra nos. imò patet ex dictis eſſe nobiſ-

 cum.

cum. Innocentius III. est antiquissimus, qui ab Aduersarijs contra nos adducitur, qui tamen floruit anno Domini 1212. & nostræ sententię magis fauet, vt ostendimus. Præterea testis erit epistola quædam Gaufredi pulcherrima, quam refert Cardinalis Baronius tom. 12. anno Christi 1188. & nos quoque huc transferemus, quia nihil aliud, quàm præsentem disputationem continet, & mirum in modum nostræ sententiæ fauet.

Amantissimo Domino & Patri A. Dei gratia Albanensi Episcopo, & Domini Papæ Vicario,

Fr. Gaufredus de Claraualle minimum id quod est.

QVIA *semel cœpi, loquar ad Dominum meum super verbo etiam altero, cùm nobis opportunum fuerit, vestrum desiderans obtinere responsum. Ad partes enim Galliæ, sicut nostis, hoc anno cum vestra benedictione reuersus, nouam & mihi hactenus inauditam ventilari inter aliquos reperi quæstionem de substantia aquæ, quæ vino mista in calice similiter offertur, & an & ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini conuertatur. Nec mediocris est inter modernos Theologos super eadem quæstione dissensio, negantibus aliis, aliis affirmantibus,*

bus, totius liquoris misti, sicut panis, qui ex simila & aqua similiter conficitur, vnam fieri transubstantiationem. Et *affirmantium quædam assertio est, nullatenus esse credendum, quòd in calice Domini purum fuerit vinum, præsertim cùm in regione illa sic habeatur in vsu commistio aquæ, vt de Sapientia quoque legatur, quia miscuit vinum: nec nisi mistum in illis maxime regionibus facilè soleat propinari. Aiunt etiam, quòd dum substantia aquæ, quæ ad conficiendum panem miscetur similæ, post consecrationem aqua non remaneat; incongruum fore videtur, vt mista vino similiter in consecratione non mutetur. Postremò, cùm elementa quatuor, ignis, aëris, aquæ & terræ supernus Artifex sic coniunxerit, vt non tam elementa simplicia, quàm ex eis elementata sunt, quæ videntur, si ab illa mutatione excipere cœperit, alius ignem, alius aërem, alius terram, sicut isti aquam excipiunt, non mediocris inde confusio consequitur.* Igitur *circa hoc, & huiusmodi affirmantium conuersionem totius misti liquoris, qui in calice continetur, in sanguinem Domini ratiocinatio studiosa versatur. Auctoritates etiam quasdã protulere, quas præsentis scripturæ consummationi duximus reseruandas: nam qui eis super hoc aduersantur, ex nullis antiquorum, siue etiam modernorum scriptis tam euidentia testimonia protulere suæ assertionis. Cæterùm innituntur potissimùm vni verbo, quòd principales Sancti in duabus speciebus panis & vini consecrationem perfici perhibentes,*

nullam

nullam in verbo illo alicuius diuersæ speciei, nullam aquæ fecerint mentionem. Ad quod respondetur eis, quòd non consueuere homines misturam vini & aquæ, nec si quantitas aquæ praualeat, aquam nuncupare, sed vinum. Præterea calicem Dominus legitur accepisse, non vinum, quamuis continens Euangelista posuerit pro contento. Sacerdos quoque, cùm Missam celebrat, quod dicere soleat, attendendum: Similiter postquàm cœnatum est, accipiens & hunc sacrosanctum calicem (in quo videlicet continetur vinum mistum aqua) benedixit, & dedit discipulis suis dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus, &c. Dicunt aliqui, qui sub Magistro Petro Lombardo, dum adhuc viueret, studuere, quòd numquam eos docuerit aquæ mutationem; sed quòd eam negauerit, neminem reperio profitentem. Nam & in lib. Sententiarum eius super eodem Sacramento auctoritates plurimæ continentur, quarum aliquas aiunt illi pro parte sua: sed nec soluta, nec saltem proposita in eius codice eadem quæstio reperitur. Opponunt iidem auctoritates, in quibus nihil legitur de mutatione aquæ in sanguinem, & huic verbo potissimùm innituntur, quoniam per Apostolos ad significandam plebem vniendam Christo, misceri iussa est aqua vino. Et respondetur eis, quòd auctores, qui non astruunt commutationem, non tamen negant, & proferunt testimonia de Scripturis, in quibus & iidem ipsi, siue alibi reticent, siue etiam alibi vini misti mutationem euidentiùs asseuerant.

Affert

Affert deinde Gaufredus teſtimonia Cypriani, Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, Paſchaſij, Hildeberti Cenomanenſis, & Algeri, quæ nos etiam ſuprà retulimus. poſt quæ ſubiicit; *Cæterùm pars aduerſa auctoritates priores admittit vtcumque, dicens, vinum, quod aqua miſtum eſt, ſed non propterea aquam mutari. Teſtimonium verò Paſchaſij, quod euidens eſt, eadem pars contemnit, licèt magnum ipſius B. P. Gregorius in lib. Dialogorum perhibeat teſtimonium ſanctitati. ſicut Hildebertum aiunt verſificatorem fuiſſe, non Eccleſiaſticorum dogmatum aſſertorem. De Algero dicunt, Neſcimus hominem, ipſius tamen nullum adhuc comperi librum; & Sancti, vel cuiuſque Doctoris auctoritatem ſimiliter ſuffragari. Ac proinde placeat veſtræ dignationi cum Dominis noſtris fratribus veſtris ſuper hoc verbo, cùm opportunum affuerit tempus, diligenti collatione tractare, vt auctoritas S. R. Eccleſiæ definiat, quid ſuper hoc credi debeat, vel doceri.*

Hæc Gaufredus, ſed quodnam fuit Cardinalis reſponſum? ſubijcit Baronius. *Quid autem reſcripſerit ad petitam conſultationem Cardinalis, non inuenimus; ſed aliud reſcribere non potuiſſe, certum eſt; quàm, quod credidit & cuſtodiuit ſemper Sancta Romana Eccleſia, nimirùm aquam ſimul & vinum tranſubſtantiari in ſanguinem Chriſti.*

Hæc Cardinalis Baronius antiquitatis & rituum Eccleſiæ peritiſſimus.

Cæ-

Cæterùm nonnulla ſunt præcipuè digna, vt notentur in hac epiſtola. Primum, ſunt illa verba Gaufredi; *nam qui eis ſuper hoc aduerſantur, ex nullis antiquorũ, ſiue modernorum ſcriptis, &c.* vbi Gaufredus, qui nulli parti adhærebat, affirmat, antiquos eſſe pro parte affirmante, aquam conuerti in ſanguinem. Immò vſque ad illud tempus neminem fuiſſe, qui contrarium docuiſſet. Ex quibus patet verum eſſe id, quod nos ſuprà dicebamus, nullum ex Patribus fuiſſe in contraria ſententia. Secundum notandum, totum fundamentum eorum qui negabant aquam conuerti in ſanguinem, non aliud fuiſſe, quàm auctoritates quaſdam negatiuas aliquorum Patrum. quod argumenti genus per ſe leuiſſimum eſt, & illi etiam optimè ſatisfaciebant alij, dicentes, *Quòd non conſueuere homines miſturam vini & aquæ, nec ſi quantitas aquæ præualeat, aquam nuncupare, ſed vinum.* Quæ reſponſio & à nobis ſuprà ſæpiùs eſt commemorata, & infrà copioſiùs confirmabitur. Tertium notandum, ſuppoſuiſſe hos Doctores quos refert Gaufredus, aquam non conuerti in vinum: nam ſi hoc admiſiſſent, quis tam hebes fuiſſet, vt negaret aquam iam vinum factam in ſanguinem Chriſti conuerti? hac enim ratione non dubitabant de aqua, quæ farinæ commiſcebatur, quia hęc iam erat in panem conuerſa. Præterea, hoc idem demonſtrat reſponſio ab ipſis

ipſis allata, *Quòd miſtura vini & aquæ, etiamſi quantitas aquæ prævaleat, ſoleat appellari vinum.* Non igitur volunt, aquam verti in vinum ſubſtantialiter, ſed tantùm moraliter, ita vt nomine vini ſubintelligatur etiam aqua. Quare etiam Eſtius orat. 15. fatetur conſtare ex ſerie narrationis, & ex rationibus vtriuſque partis, de immediata conuerſione aquę in ſanguinem ſermonem eſſe. imò hinc etiam patet pro comperto tunc temporis habuiſſe omnes, aquam in vinum non conuerti, alioqui non omiſiſſet Gaufredus eius mentionem facere, cùm ita facilè omnes difficultates ſolui poſſent. Quartò notandum: qui negabant aquam in ſanguinem verti, ad Patrum teſtimonia numquam reſpondiſſe, intelligenda ea eſſe de conuerſione mediata, vt nunc recentiores ſolent. Eſt igitur tam improbabilis hæc reſponſio & expoſitio, vt illi ipſi, quibus maximè fauet, vel admittere eam noluerint, vel ne ſubodorati quidem in Patrum verbis fuerint. Verùm de hac, ſiue contra hanc, ſect. ſequenti fuſiùs erit diſputandum. Quintò, ponderanda ſunt verba Cardinalis Baronij, qui ſine vlla hæſitatione tamquam certum affirmat, Eccleſiam Romanam ſemper exiſtimaſſe, aquam ſimul & vinum in ſanguinem verti. quod doctiſſimus Cardinalis non dixiſſet, niſi exploratum illi fuiſſet; neque veriſimile eſt ipſum ignoraturum ſi pro con-

contraria ſententia, vel vnum teſtimonium in Patribus extitiſſet.

Tandem pro coronide huius ſectionis adijciendum eſt miraculum, quod idem Baronius anno 1192. ab Helmondo Abbate in Sclauorum hiſtoria narratum, in confirmationem eiuſdem ſententiæ affert: *His fermè diebus*, inquit, *puella quadam in partibus Thuringiæ prope ciuitatem Erpisfordiam ægrotante, cùm Sacerdos poſt datum ei ex more viaticum, ablutionem digitorum faciens in calice vitreo, vt illam aquam puellæ bibendam traderet, inſcienter portiunculam ſanctiſſimæ Eucharistiæ in eam excuſſiſſet; confeſtim tota aqua mutata eſt in ſanguinem, & portiuncula formam accipiens digituli verſa eſt in cruentam carnem. ſed & interim, dum mittitur pro tanto prodigio ad Archiepiſcopum Moguntinum, calice ſuper altari reuerenter poſito, videntibus cunctis columba venit ſuper labrum calicis, & diu ſedit non ſine admiratione cunctorum, quòd mole corporis ipſum non euertiſſet, quippè qui parte inferiori longè anguſtior eſſet, quàm in ſuperiori: vnde creditum eſt, non corporalem, ſed ſpiritualem eſſe columbam. Adueniens autem Archiepiſcopus cum omnibus Prælatis ſuis, & vniuerſo clero, ac multo populo, poſt apportatum cum ſupplicationibus & proceſſionibus ſanguinem in prædictam ciuitatem ad Eccleſiam B. M. Virginis hortatus eſt omnes orare, vt diuina clementia, quæ ad euacuandum errorem infidelium, vel corroborandam fidem*

fidem suorum, Sacramentum, quod sub specie panis & vini sanctificatur, verè suam carnem & sanguinem evidentißimis indiciis demonstrasset ad laudem & gloriam nominis sui; similiter etiam ad iucunditatem & exaltationem Ecclesiæ suæ sanctæ, rursus in priorem substantiam panis & vini transformare dignaretur. Quod cùm post multam orationem demum factum esset, Archiepiscopus egregio habito in laudem tanti Sacramenti sermone, in gratiarum actione noui istius miraculi iniunxit omnibus in sua diœcesi consistentibus à minimo vsque ad maximum, ab infantulis vsque ad decrepitos, vt incuruati adorarent Dominum Iesum, cui omne genu flectitur, cælestium, terrestrium & infernorum. Idq; adeò factum est, vt etiam qui in cunabulis iacebant, incuruati gratias agerent. Denique Archiepiscopus ipsam aquam transubstantiatam in alio vasculo pretioso ad posteritatis memoriam in eadem ecclesia honorificè reposuit, priorem verò calicem Moguntiam detulit, vbi exinde maxima venerationi est habitus.

Hæc ibi de transubstantiatione aquæ in sanguinem Christi. Post cuius relationem subdit Baronius: *Confutauit idem miraculum hæresim hoc sæculo obortam negantium aquam vino mistam mutari in sanguinem.* Hæc ille.

SECTIO VI.

Aduersariorum responsiones ad supradicta testimonia Patrum referuntur, & refelluntur.

VErissimè S. Augustinus lib. 3. de Doctrin. Christian. c. 10. hanc sententiam pronuntiauit: *Si animam occupauerit alicuius erroris opinio, quidquid aliud asseruerit Scriptura, figuratum arbitratur.* Et eadem prorsus ratione possumus vniuersè nos dicere: si cuiusque animum occupauerit falsa de aliqua re opinio, nullum erit tam clarum, vel tam graue testimonium, quod vel non contemnat, vel non deprauet; nulla ratio tam euidens, quam cauillationibus obscurare non tentet. Quare quamuis clarissima & grauissima testimonia pro nostra sentētia sect. superiori attulerimus; non tamen illis acquiescunt Aduersarij, sed vt eludāt potiùs quàm explicent, dicunt intelligendos esse Patres de cōuersione mediata, ita, vt aqua in vinum priùs conuertatur, & vinum deinde in sanguinem. Agè igitur ostendamus, quàm fragili scuto se protegant, & demonstremus, nec debere, nec posse Patres, vt ipsi volunt, intelligi, & denique admissa quoque eorum explicatione, nobis Patres fauere.

Sed

Sed ante omnia duas regulas, quibus in testimonijs Patrum intelligendis vti debemus, ni velimus & à veritate, & ab eorum mente aberrare, præmittere oportet. Quarum prior est. Accipienda esse verba Patrum in sensu proprio, & qui ex ipsis verbis absque alia explicatione, siue additione consurgit, dummodo, vel alij Patres non sint contrarij, vel euidenter fidei articulo non repugnent. Hæc regula ex S. August. li. 3. de Doctrina Christian. cap. 10. pro testimonijs sacræ Scripturæ colligitur, & ab omnibus recipitur, vt testatur Cardinalis Bellarminus li. 10. de Eucharistiæ Sacramento ca. 9. sed æquè valere debet pro sanctis Patribus. Primò, quia sancti Patres clariùs loquuntur, quàm Scriptura sacra; quam nobis suis verbis explicant, & claram reddunt: ergo si Scriptura, quæ obscurè loqui solet, debet tamen propriè, & iuxta sensum verborum intelligi, multò magis Patres, qui verborum proprietate & claritate delectantur: Secundò, quia Scripturam debemus intelligere iuxta expositiones Patrum, vt Concilium Lateranense sess. 11. & Tridentinum sess. 4. præcipiunt. At si Patres non sunt intelligendi, prout ipsorum verba significant, sed ad varios sensus nostros detorqueri possunt, iam nihil erit certum & firmum in fide: quodnam enim dictum erit tam clarum & apertum, quin aliqua explicatione non

possit in alium sensum detorqueri? exemplo sint verba Christi Domini, quibus instituens sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, testatus est, ipsum, quod habebat in manibus esse suum corpus; nihil enim poterat clariùs dici, & tamen hæretici sexcentas excogitarunt expositiones, vel, vt veriùs dicam, deprauationes quibus vim huius testimonij effugere conantur: contra quos argumentantes Catholici asserunt, & meritò, verba intelligi debere iuxta propriam notionem, dum aliqua ratio contrarium non conuincit. Ob eamdem rationem felicis recordationis Pius Papa IV. in decreto super confirmatione Concilij Tridentini prohibet cōmentarios, glossas, annotationes, scholia, vllúmve omnino interpretationis genus super Concilij decretis quocumque modo edi, *Ad vitandum*, vt ipse ait, *peruersionem & confusionem, quæ oriri posset, si vnicuiq; liceret, prout ei liberet, in decreta Concilij commentarios & interpretationes suas edere.* Cùm igitur fides nostra ex sacra Scriptura pendeat, sacræ Scripturæ sensus à Patribus sit petendus, si licet verba Patrum pro libito cuiusque interpretari, neque in Scriptura, neque in fide nostra aliquid erit firmum & ratum; sed omnia, prout quilibet ad suos sensus verba Patrum accommodauerit, inuerti poterunt & confundi. Tertiò, quia auctores sacræ Scripturæ sunt longè pauciores Patribus;

bus; quare si humanam tantùm rationem spectemus, facilè erit credere vnum aut alterum eorum, vel figuratè, vel obscurè, vel non propriè locutum. At cùm Patres, qui plurimi fuerunt, & regionibus & temporibus quàm longissimè dissiti, omnes eodem modo loquantur, neminem eorum non propriè, non clarè locutum, sed omnes eâdem, vel amphibologiâ, vel obscuritate, vel improprietate fuisse vsos, est planè incredibile. Denique ex regula legali & vniuersali, quòd verba etiam in dubio debent propriè intelligi. l. 3. §. *hac verba*. ff. de neg. gest. vbi Bartol. & reliqui l. 1. §. *Is qui nouem*. ff. exercit. actionis, & l. *non aliter*, ff. de legat. 3. multo magis autem à verborum proprietate non est recedendum, quando sunt clara, vt tradunt Socin. in l. *vbi est verborum*, in quinto notabili, de rebus dubijs. Ruin. in consil. 158. in fine li. 3. ex Crauet. in consil. 288. col. 2. in fine, & Menoch. cons. 870. num. 2. Huic autem regulæ in hac nostra quæstione potissimum locum esse debere probatur, quia eius solutio ex traditione, quæ per Concilia & Patres ad nos demanauerit, maximè pendet, cùm non aliunde de Christi mente, à quo materiæ Sacramentorum institutæ sunt, possimus certiores reddi.

Altera regula est, vt, cùm aliqui Patres obscurè loquũtur iuxta ea, quæ alij Patres clariùs tradiderunt, explicentur. Tradit hanc regulam do-

doctissimus Bessarion Cardinalis in oratione, quam in Concilio Florentino habuit pro vnione Græcorum & Latinorum, & hac euicit, credendam esse processionem Spiritus sancti à Filio cum Latinis, quamuis ipse Græcus esset; quia etsi multi Patres Græci ita loquuntur, vt videri possint negare huiusmodi processionem, cùm tamen Patres Latini clarissimè eam asserant, ne dicantur inter se contrarij, fateri oportet, Patres obscurè locutos, explicandos esse iuxta dicta clariora aliorum Patrum. Quam regulam pro sacræ Scripturæ intelligentia antea quoque tradiderat S. August. li. 3. de Doctr. Christ. cap. 26.

His duabus regulis positis, iam dicta Patrum absque controuersia sunt pro nostra sententia. nam apertissimè dicunt, aquam verti in sanguinem, nullus eorum cõtradicit, nihil hinc sequitur contra fidem; immò est valdè consonum, cùm & constet, Christũ Dominũ in huius Sacramenti institutione aquam adhibuisse, & plurimæ adsint etiam pro hac sententia rationes, vt partim vidimus, & fusiùs infrà videbimus: ergo ita debent intelligi, vt ab eis proferuntur, & absolutè debemus asserere, aquam verti in sanguinem. Quare cùm Suarez post allata Patrum & Doctorum testimonia, *Quæ videntur*, inquit ipse, *huic sententiæ fauere*, subiicit; *Sed hæc omnia facilè explicari possunt*; ergo, argu-

argumentor, Pro nobis ſunt Patres: nam ſi eos explicare oportet, vt in contrariam ſententiam trahantur, iam non accipiuntur eorum verba iuxta germanam & ipſis innatam ſignificationem, contra priorem regulam, ſecũdum quam nobis fauent.

Sed iam inſpiciamus hanc explicationem, an poſſit Sanctorum verbis accommodari, inquit igitur Suarez in ſolut. ad 2. *Aquam dicunt ſancti conuerti in ſanguinem, quia ſaltem mediatè ita communiter fit; & interdum etiam dicunt, vinum miſtum aqua conuerti, quia licet aqua conuerſa ſit in vinum, tamen ſimpliciter vocatur illud vinum miſtum, quia manet affectum & temperatum qualitatibus aquæ.* Sed facilius erit hanc explicationẽ refellere, quàm fuerit ipſam excogitare.

Primum enim, multis ſanctorum Patrum dictis accommodari non poteſt: nam S. Ambroſius apertè dicit, ante conſecrationem adeſſe aquam in calice, & poſt eam eſſe ſanguinem; ergo non priùs in vinum, ſed immediatè tranſit in ſanguinem.

Quocirca, vt ipſemet Suarez dicit, *Videntur fauere huic ſententiæ, præſertim Ambroſius & Damaſcenus, indicant enim aquam manere vſque ad conſecrationem, & conuerti.* Quibus tamen peculiariter ipſe nihil reſpondet: prudenter enim voluit potiùs ſilentio præterire, quàm nimis abſurdè eos exponere. Eodem autem modo

 loqui-

loquitur Paschasius, & alij multi. Hinc ergo per secundam regulam argumẽtamur: Patres, qui obscuriùs loquuntur, debent per Patres qui clariùs loquuntur, exponi; sed nos habemus Patres clarè dicentes, aquam conuerti immediatè in sanguinem; idem est enim conuerti immediatè, atque esse aquam vsque ad consecrationem, & postea esse sanguinem, nisi miraculum ponamus, quod nec Aduersarij ponunt; ergo, quamuis alij Patres obscurè loquerentur, deberent & ipsi hoc pacto intelligi.

Secundò, argumentor ex illis Patribus, qui dicunt illud quod est in calice fieri sanguinem Christi; sicut Augustinus, Germanus & Odo Cameracensis; Non potuit his Patribus esse exploratum, aquam esse conuersam in vinum, & consequenter non esse in calice tempore consecrationis, vt Aduersarij fatentur: immò ex aliquorum dictis colligitur, ipsos supponere aquam adesse, & tamen sine vlla hæsitatione dicunt id quod est in calice, fieri sanguinem; ergo quòd aqua fiat sanguis, non pendet ex eo quòd fiat vinum, sed quidquid sit de illa conuersione, quæ incerta est, hæc firma manet, quæ non obstante illa incertitudine, vt certa ab ipsis asseritur.

Tertiò, eodem prorsus modo de vino, pane & aqua loquuntur sancti Patres, neque vnquã aliquis eorum dixit, vel panem vel vinum im-

me-

mediatè conuerti in corpus & ſanguinē Chriſti;& tamen omnes intelligunt ipſorum verba de conuerſione immediata. Cur ergo ad hoc, vt intelligamus aquam conuerti immediatè in ſanguinem, debemùs requirere hoc verbum *immediatè* in ipſorum ſcriptis? ſatis certè eſt,vt eodem pacto loquantur de aqua ac de vino, vt intelligamus eodem pacto vtrumque conuerti: & ſicut dum dicunt vinum in ſanguinem Chriſti conuerti, germanus eorum ſenſus eſt conuerti immediatè, idem etiam erit germanus ſenſus reſpectu conuerſionis aquæ.

Quartò,ea expoſitio non debet admitti,quę facit Patres otioſè loquentes.nam & Iuriſperiti pro inconuenienti habent, quòd verba legis, immò & ſyllabę nihil operētur. vt poſt gloſſam in l.1.ff.quod metus cauſa,tradunt Iaſon in l.3. nu.3. ff. de tranſact. Ripa in cap.*ſicut Romana*, n.5.de reſcript.Gomez §. *in perſonam*,num.17. in Inſtit.de act.& Menoch.præſumpt.37. li.4. num. 5. Nec mirum, cùm id etiam in priuatis diſpoſitionibus locum habere velint l. *ſi quando*. in princ.de leg. 1. & ſcribunt copioſè poſt alios Felin.in cap.1. num.4. de reſcript. Alciatus in reſp. 163. num.4. & latiùs Crauett. in conſ. 131. num.24. & in conſ. 294. num. 12. verſ.*quinto loco*. Atqui hæc expoſitio de mediata conuerſione eſt huiuſcemodi, igitur. Probatur minor, quia ſi Patres ſupponebant a-

quam conuerti in vinum, otiosum & ineptum erat dicere conuerti in sanguinem: quis enim fidelium de hoc ambigere poterat, cùm certum sit vinum conuerti in sanguinem? si non supponebant, cur non aliquando clarè asserebant? mirum certè esset, cùm sit longè certius vinum conuerti in sanguinem, quàm aquam conuerti in vinum, numquam Sanctos de conuersione aquæ in vinum verbum protulisse, sæpissimè de conuersione eiusdem in sanguinem locutos, cùm tamen vellent vtramq; credi: hoc enim voluerunt secundùm Aduersarios, cùm apud eos vtraque conuersio sit necessaria ad hoc, vt aqua mediatè dicatur in sanguinem Christi conuerti.

Confirmatur, quia numquam dixerunt Patres farinam, vel aquam, quæ cum ipsa miscetur, fieri corpus Christi: quare? quia non fiunt immediatè, sed mediante conuersione in panem, ergo eadem ratione, si credidissent, aquā mediatè tantùm in sanguinem transmutari, numquam dixissent absolutè ipsam in sanguinem conuerti. Et quamuis S. Cyprianus dicat, *Sic verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumq; sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse sub farina sola, aut aqua sola, nisi vtrumq; fuerit adunatum.* Non tamen per hæc verba, quæ in sui fauorem citat Suarez, voluit significare mediatè aquam conuerti in san-

ſanguinem, ſicuti mediatè dum miſcetur farinæ, vertitur in corpus; nam eodem prorſus modo loquitur S. Cyprianus de aqua, atque etiam de vino. ſi igitur voluit aquam conuerti mediatè in ſanguinem Chriſti; idem etiam dicendum eſt, voluiſſe de vino. Non ergo hoc voluit S. Cyprianus, ſed tantùm docuit, ita debere conſtare materiam ſanguinis ex aqua & vino, ſicuti materia corporis conſtat ex aqua & farina: & ſicut ex farina & aqua fit vnum miſtum, quod neque eſt aqua, neque farina; ita ex aqua & vino fieri vnum compoſitum, quod neque ſit vinum purum, neque aqua, ſed miſtum quoddam ex aqua & vino. quare ex S. Cypriano, ſicuti farina non vertit aquam in ſe, ita neque conuertere debet vinum. Debuiſſet autem, ſi opinioni Suarez fauere voluiſſet S. Cyprianus, dicere, ſicut corpus Domini non eſt ſub aqua, niſi conuerſa fuerit in panem, ita neque ſanguis, niſi aqua ſit commutata in vinum: nam Suarez vult aquam habere ad vinum eam proportionem, quam habet aqua ad panem: ſanctus autem Cyprianus, & nos eam, quam habet aqua ad farinam, ita, vt ſicuti ex aqua & farina fit vnum compoſitum ſubſtantiale, quod eſt materia corporis; ita ex aqua & vino fiat vnum miſtum accidentale, quod eſt materia ſanguinis. quare verè S. Cyprianus eſt pro nobis.

Quin-

Quintò. Intentio SS. Patrum in ſupradictis teſtimonijs non fuit determinare aliquid phyſicum, ſed aliquid ad fidem, ſiue Theologiam ſpectans; at ſi vera eſt explicatio Suarez, totum contrarium determinarunt, ergo non eſt recipienda eius expoſitio. Maior immeritò in dubium vocaretur, nam vt aduertit Cano lib. 7. de Locis theolog. cap. 3. Patres totos ſe dabant diuinæ ſapientiæ, neque ſolliciti in philoſophicis dogmatibus perſcrutandis erant. quod poſt ipſum notarunt etiam Bañes 1. part qu. 1. art. 8. dub. 5. concl. 1. & Chriſtophorus Gilliuslib. 1. comment. Theolog. tract. 7. cap. 12. & idcirco in rebus philoſophicis non maximi fit eorum auctoritas: & ex ipſorum etiam contextu liquet, non de rebus philoſophicis, ſed de ſacris & Theologicis eos agere, & loqui. Probatur aſſumptio, quia iuxta principia ipſius Suarez hæc concluſio, Aqua vertitur in ſanguinem, pendet ex duobus principiis, altero Philoſophico, altero Theologico: illud eſt, aquam verti in vinum, de quo idem ipſe loquens inquit, *Hoc pendet ex principiis Philoſophiæ*: hoc verò eſt, vinum verti in ſanguinem. quando ergo Patres dicebant, aquam verti in ſanguinem, oportet, eos voluiſſe determinare alterum horum principiorum, ex quibus neceſſariò hæc concluſio pendet. nam ſi ambo admittantur, nemo eſt tam cæcus, quin videat, illam concluſio-

nem

nem ſequi. qua ratione ſuprà dicebamus, numquam Patres aſſeruiſſe farinam mutari in corpus Chriſti, quia conſtabat & ipſam mutari in panem, & panem in corpus. Noluerunt autem determinare Patres vinum conuerti in ſanguinem, quia hoc apertis alioqui verbis aſſerebãt, & bis idem dixiſſent, cùm affirmarent vinum & aquam in ſanguinem verti. Sequitur ergo ipſos voluiſſe determinare aliquid philoſophicum, ſcilicet aquam verti in vinum. quod ab ipſorum mente fuit alieniſſimum.

Confirmatur, quia ipſi abſque vlla limitatione tamquam certiſſimum & infallibile aſſerunt, aquam conuerti in ſanguinem, non minùs quàm vinum: atqui iuxta principia philoſophica, etiam ex Aduerſariorum ſententia, non poteſt certò aſſeri aquam verti in vinum, nam & Suarez inquit, *hoc communiter tantùm fieri*: ergo niſi velimus eos hallucinatos eſſe, numquam mens Patrum fuit hoc philoſophicum determinare.

Confirmatur Secundò, quia, vt ſuprà diximus, tunc temporis communiſſima erat ſententia, aquam numquam in vinum verti, quam etiam docuit D. Nemeſius lib. de Anim. cap. 5. inſinuant plerique Patres, vt patet ex teſtimonijs ipſorum ſuprà citatis, nemine eorum refragante, & ſupponebant inquirentes an aqua in calice vertatur in ſanguinem, vt ſuprà notauimus.

uimus. quibus etiam Physici illorum temporum assentiebantur, vt dicebat Innocentius, imò, & experimenta, vt patet ex Plinio lib. 16. cap. 35. & Catone de Re rustica cap. 151. nec ab illis moris erat apud Patres in rebus philosophicis discedere.

Sextò, periculosa esset hæc propositio; farina vertitur in corpus Christi, quia non conuertitur immediatè; at si aqua non conuerteretur immediatè, longè periculosior esset hæc; aqua vertitur in sanguinem: ergo vel est dicendum, Patres periculosam propositionem nobis tradidisse, vel aquam conuerti immediatè in sanguinem. Probatur maior, quia illa propositio est periculosa, quæ cùm duplicem possit habere sensum, alterum bonum, & alterum malum, faciliùs admittit malum; quàm bonum: atqui huiusmodi est hæc propositio, Farina vertitur in corpus Christi; quia si intelligatur mediatè, bonum habet sensum, si immediatè malum; faciliùs quoque recipit malum, quia vel semper, vel frequentiùs, cùm aliquid dicitur verti in aliud, præcipuè si sermo sit de conuersione supranaturali, intelligitur de conuersione immediata. Probatur autem longè periculosiorem futuram hanc propositionem, *aqua vertitur in sanguinem Christi*, quoniam nullos legimus hæreticos asseruisse farinam immediatè conuerti in corpus Christi; non defuerunt tamen,

tamen, qui dicerent, aquam ſolam immediatè conuerti, & videri poterant habere aliquod fundamentum, quia Chriſtus Dominus obtulerat vinum & aquam, longè igitur periculoſius fuiſſet aſſerere, aquam verti in ſanguinem, quàm farinam in corpus; & tamen Patres à poſteriori propoſitione diligenter cauerunt, priorem frequentiſſimè vſurparunt: ergo ſignum eſt, non periculoſam, ſed veriſſimam eſſe illam propoſitionem, & non de mediata, ſed de immediata conuerſione, quæ ſimul cum vino fiat, intelligendam.

Septimò, ſi aqua tantùm mediatè poteſt conuerti in ſanguinem Chriſti: ergo non minùs eſt vera hæc negatiua, Aqua non vertitur in ſanguinem, quàm hæc affirmatiua, Aqua in ſanguinum vertitur; nam illa vera eſſet de cõuerſione immediata, hæc de mediata. Si ergo æquè vera eſt illa negatiua, cur neminem Sanctorum reperimus eam vſurpaſſe? cur omnes conſpirarunt in hanc affirmatiuam? ſi dicant, maiorem eſſe vim negationis quàm affirmationis, & ad illam verificandam oportere neque immediatè, neque mediatè aquam in ſanguinem verti; Contrà, quia hac ratione nihil eſſet, de quo dici non deberet, quòd in corpus & in ſanguinem Chriſti conuerteretur: nam etiam ex terra fit mediatè panis, quare non poſſet dici, terram non conuerti in corpus Chriſti. Præterea

terea, cur negant omnes Patres, & Scholastici, vel ex vua, vel ex omphacio, quod vulgò dicitur agresta, posse confici hoc Sacramentum, vt docet S. Thom. q. 74. art. 5 & Missale in rubricis, cùm tamen ex vua, vel omphacio facillimum sit fieri vinum, & sic mediatè confici Sacramentum? certè videmus in nulla alia propositione admitti hunc sensum de mediata cõuersione, cur ergo admittemus in hac tantùm?

Octauò. Quando duo termini sunt subordinati, rectè intelligitur si quis ad posteriorem progreditur, progredi etiam ad priorem: vt si ad hoc, vt eam Romam, oporteat me pertrãsire Florentiam, dum dicor ire Romam, rectè intelligitur me quoque ire Florentiam; at si termini sunt disparati, vt Roma & Hispania respectu Mediolani, ex vno non potest intelligi alter: atqui isti duo termini, vinum & sanguis sunt disparati, quia prior attingitur per virtutem naturalem, posterior per supernaturalem, neque si aqua vertitur in sanguinem, oportet vt transeat per vinum, cur enim non poterit Christus immediatè eam conuertere in sanguinem? Esset igitur omnino per accidens, quòd priùs verteretur in vinum, ac deinde in sanguinem: ergo dum dicunt Patres aquam conuerti in sanguinem, non necessariò intelligunt eam conuerti priùs in vinum. Id ipsum ex modo loquendi PP. probatur, dicunt enim

aquam

aquam & vinum verti in ſanguinem Chriſti: loquuntur ergo de aqua tamquam de re diuerſa à vino ,& de vino tamquam de termino à quo, non ad quem ; voluntque aquam conuerti immediatè in ſanguinem, ſicuti ſi dicerem, Summos Pontifices ex Epiſcopis & Cardinalibus creari, omnes intelligerent de creatione immediata, non verò de mediata, ita vt neceſſe eſſet Epiſcopos priùs fieri Cardinales, quamuis non aliter fieri ſoleat.

Nonò. Curæ non erat veteribus Patribus, eam apponere aquæ quantitatem, quæ ante conſecrationem verti in vinum poſſet. Nam S.Cyprianus epiſt. ad Cæcilium hoc tantùm contendit, vt vinum & aqua in Miſſæ ſacrificio adhibeantur, de quantitate aquæ nihil ſollicitus; nec ante Concilium Triburienſe, quod habitum fuit anno Domini 895. in quo decretum eſt canon.19.vt duæ partes eſſent vini, tertia verò aquæ, quidquam reperitur de quãtitate aquæ vino apponendæ præſcriptum. Innocent. verò multò pòſt, id eſt, circa annum Domini 1200.l.4.de Myſter. Miſſæ c.30.aſſerit ſolùm oportere, quòd tantum vini ponatur, quòd aqua eius commiſtum ſaporem retineat. Honorius quoque III. qui ei ſucceſſit, de eadem re ad quemdam Archiepiſcopum ſcribens, vt habetur Extrau. de celebrat. Miſſarum, cap. *Perniciosum*, inquit tantùm, ſecundùm genera-

lem consuetudinē Ecclesiæ plus de vino quàm de aqua esse ponendum. Quare Estius ingenuè fatetur, *Non adeò rarum aut esse, aut fuisse, vt aqua calici infusa, & vino mista, maneat aqua vsque ad consecrationem.* Si ergo hæc vera sunt, quomodo credibile est, Patres eatenus tantùm aquam in sanguinem verti existimasse, quatenus priùs erat versa in vinum, & tamen absque vlla hæsitatione, aut conditione simpliciter asseruisse, aquam in sanguinem verti? An credebant aquam, licet in magna quantitate vino appositam, statim in ipsum verti? nemo vulgarium hominum hoc sibi persuadet, quomodo ergo illi sapientissimi viri crederent? si non credebant, neque solliciti erant, vt aqua eo modo & tempore apponeretur, quo facilè posset in vinum conuerti: ergo quòd aqua in vinum verteretur, non existimabant referre ad Sacramētum. Vel igitur dicendum est, nihil eos existimasse quoque referre, quòd aqua verteretur in sanguinem, vel censuisse conuerti, quamuis in vinum non esset redacta; illud autem dici non potest, quia omnes asserunt tam aquam quàm vinum in sanguinem commutari: ergo hoc posterius est admittendum.

Decimò, quis non videat, quàm sit violenta hæc expositio, Vinum & aqua, siue aqua simul cum vino vertuntur in sanguinem Christi, id est, vinum quidem immediatè; aqua verò, quia

quia priùs vertitur in vinum? Numquid lignũ dicitur sursum ascendere, quia in ignem vertitur qui sursum ascendit? Numquid farina simul cum pane dicitur verti in hominis substãtiam, quia vertitur in panem, ac deinde panis in eius substantiam? Irrideretur certè, qui ita loqueretur: qui enim asserit duo simul concurrere ad aliquid, supponit illa duo existere, non verò vnum esse mutatum in alterum; cùm ergo dicant Patres aquam simul & vinum verti in sanguinem Christi, intelligendi sunt de aqua & vino simul existentibus, non de aqua in vinum versa. Si autem addamus id, (quod alibi à nobis demonstratum est,) aquam numquam in vinum verti, quis non videat, non sine eorum magna iniuria & ignorantiæ nota, posse hunc sensum de mediata conuersione Patrum dictis ascribi?

Ex his igitur patet, Patres vel locutos fuisse de immediata aquæ conuersione in sanguinẽ, vel, vt demus Aduersarijs quod possumus, voluisse aquam in sanguinem conuerti, non determinantes, vel non curantes de modo, an scilicet mediatè, vel immediatè, vt etiam fatetur Gabriel Vasquez, qui nobis alioqui aduersatur in 3 p.q.74.art.8. quod etiam nobis sufficit. nam hinc sequitur, vt aqua, siue sit in vinum conuersa, siue non, in sanguinem tamen ex Patrum sẽtẽtia transmutetur. quod ipsum

est à nobis in hac, & superiori sectione intentum. Quid plura? admissa quoque Aduersariorum responsione, Patres à nobis potiùs stant, quàm ab Aduersarijs. quid enim asserunt? aquam verti in sanguinem mediatè; ergo falsum est, ipsam in calice post consecrationē remanere: atqui Aduersarij aliquando remanere asserunt, nos verò numquam, ergo nobis magis fauent. Adde, quòd si Patribus cōtradicere licet, multò magis in re philosophica, quàm theologica licebit. quòd autē aqua vertatur in vinum, est res philosophica; quòd verò in calice remaneat post consecrationem, est theologica. Etsi igitur demus Aduersarijs Patres vtrumque negare, satius tamē fuerit illos deseri, quoad philosophicam, quod videremur nos facere, quàm quoad theologicam, quod ipsi facere non verentur. quare etiam approbata eorum non probabili responsione, magis contra eos pugnant Patres, quàm contra nos.

Transeamus modò ad alteram partem responsionis Suarez, in qua dicit, vinum vocari mistum, quia licet aqua in vinum conuersa sit, hoc tamen aquæ qualitatibus affectum manet. Quæ responsio est apertè contra Aristotelem, qui in 1. de Gener. cap. vlt. loquens de mistione, duo tantùm genera mistionum agnoscit, & alterum vocat ad sensum; & hoc pacto inquit, misceri hordeacea grana frumentaceis, cùm quod-

quodlibet iuxta quodlibet positum est. Alterum vocat veram mistionem, cùm duo miscibilia potentias habent quodammodo æquales, & vtrumque ex sua natura mutatur, & fit quoddam medium & commune. Hanc verò mistionem, quam excogitauit hîc Suarez, non modò non agnoscit Aristoteles, sed etiam planè excludit: nam inquit, lignum non misceri igni, nec nutrimentum corpori, quia corrumpuntur, & negat etiam misceri accidentia corporibus. Est etiam contra rationem mistionis, quia in hac vel debent ambo miscibilia corrumpi, & fieri vnum tertium, vel neutrum debet corrumpi, sed inuicem vniri ad tertium accidentale componendum, quia mistum ab omnibus censetur esse quid diuersum à simplicibus: quamuis posterior modus mistionis sit potiùs compositio quàm mistio, sed largo modo & ad sensum, vt dicebat Aristoteles, dici potest mistio; in casu autem nostro vnum tantùm corrumpitur, ergo nullo pacto dici potest cum altero misceri.

Confirmatur, quia tunc mistio non differret à nutritione: nam si aqua, quæ conuertitur in vinum, dicitur misceri cum vino, cur etiam non dicitur alimentũ misceri cum alito? nam si aqua relinquit vinum suis qualitatibus affectum, etiam nutrimentum corpori nutrito aliqua ex suis qualitatibus impertitur.

Præterea, posset dici vinum in sacrificio Missæ misceri cum sanguine: nam vinum dicitur mistum aqua, quia in eo remanent accidētia aquæ, quamuis substantia in vinum sit conuersa. Sed etiam vinum ipsum ita conuertitur in sanguinem, vt tamen ei relinquat sua accidentia, sub quibus latet, ergo cum eo dici poterit hac ratione misceri.

Adhæc, numquam vinum esset purum, quoniam quando in vite gignitur, conuertitur in ipsum humor aqueus, quem è terra suis radicibus vitis exhausit, & illius humoris retinet vinum non paucas qualitates, saltem humiditatem: ergo hac ratione semper dici poterit esse mistum humore aqueo & terreo. Si dicas, hinc rectè probari vinum esse corpus mistum, non autem simplex, addo, aliud esse, vinum esse corpus mistum, aliud esse vinum mistum. illud de quolibet vino dici potest, hoc nequaquam; & tamen dici deberet iuxta notionem mistionis allatam à Suarez. Explicemus hoc clarius. Dicitur vinum corpus mistum, quia ex corporibus simplicibus inuicem agentibus, & se contemperantibus genitum est; non dicitur vinum semper, mistum vinum, quia non ex alio vino simplici factum est. & quamuis in genere corporis sit mistum, in genere tamen vini est simplex. idem enim videmus & in plantis, nam quælibet planta est corpus mistum, sed in ge-

nere

nere plantæ eſt ſimplex, niſi ſit per inſitionem ex pluribus plantis compoſita; ergo etiam ad hoc, vt vinum dicatur miſtum, oportet, vt ex vino ſimplici,& alio liquore fiat miſtum. Si autem ſufficeret tantùm aquam in ſe vertere, iam nullum vinum eſſet ſimplex, quia in quodlibet vinum eſt aliqua aqua conuerſa: ſicuti etiam nulla planta eſſet in genere plantarum ſimplex, quia omnes ſuccum è terra trahunt, & in ſe conuertunt; & homo ex tot rebus miſtus eſſet, quot ſunt illæ quas comedit & in ſe vertit, quod eſt omninò abſurdum.

Vide igitur, quæſo, lector, quas nouas vocabulorum notiones oporteat Aduerſarios excogitare, quot abſurda deuorare, quot teſtimonia in contrarios ſenſus pertrahere, vt ſuam ipſorum ſententiam tueantur, cùm noſtra proprias vocum notiones retineat, Patrum ſententias iuxta germanum, & per ſe conſurgentem ſenſum recipiat; in omnibus denique plana & recta via progrediatur. quod, etſi nulla alia ratio ſuppeteret, ſufficiens argumentum veritatis huius, & illius falſitatis eſſet.

Hactenus reſponſionem Suarez impugnauimus, quæ probabilior videbatur; nunc verbum dicendum de alia reſponſione, quam in ſua epiſtola refert Gaufredus: refert enim Aduerſarios reſpondere, quod, dum à Patribus dicitur, vinum aqua miſtum verti in ſangui-

nem, nolunt, quòd aqua ipsa vertatur, sed illud vinum cui aqua erat admista.

Verùm, quis non aduertat improbabilitatem huius responsionis? primùm enim ex ipsa sequitur aquam remanere in calice post consecrationem simul cum sanguine, quod & ab Innocentio improbabile iudicatum fuit, & ab omnibus Scholasticis reiectum. Deinde non potest accommodari multis Patrum dictis, qui non tantùm dicunt vinum aqua mistum, sed etiam ipsam aquam verti in sanguinem. Tertiò etiam respectu illorum, qui asserunt vinum aqua mistum in sanguinem verti, est violenta expositio: frustra enim aquæ mentio fieret, si non ipsa, vel conuerteretur in sanguinem, vel esset ratio, aut conditio conuersionis vini; cùm autem hoc posterius non sit dicendum, quia vinum etiam merum verti potest in sanguinē, sequitur, vt dicatur prius. Præterea idem omnino significare, vinum aqua mistum in sanguinem verti, atque vinum & aquam in sanguinē commutari, & non vinum tantùm, ostenditur ex cap. *in Sacrament.* de consecrat. dist. 2. vbi cùm dixisset Alexander Summus Pontifex, *Panis tantùm & vinum aqua permistum in sacrificium offeratur.* subdit, *Non debet in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumq; permistum.* Idem igitur apud Pontificem est, vinum aqua mistum offerri, atque vtrumque, id-

est

eſt, tam aquam quàm vinum offerri. Quare Lælius Zechius hunc canonem citans c. 2. de Sacrament. Euchar. inquit in eo ſtatui, *vt aqua vino permiſta offeratur*, in recto ponens aquam & vinũ in obliquo. Videbat enim nihil referre, vtrùm poneretur in recto, vel in obliquo: quod & ante eum videtur feciſſe S. Cyprianus, dum epiſt. 63. inquit, *calicem miſtum vino offerri*, vinum in obliquo ponens, & aquam nomine calicis intellectam in recto. Maneat igitur firmum & conſtitutum, Patres, niſi ipſorum verba peruertantur, clariſſimè noſtræ ſententiæ patrocinari.

Tandem hæc omnia confirmantur auctoritate doctiſſimi Cardinalis Baronij ſuprà allata, qui dixit ſemper Eccleſiam Romanam credidiſſe, aquam ſimul & vinum in ſanguinem Chriſti conuerti. Quid enim hîc dicent Aduerſarij? negabunt, vel exponent auctoritatem ſapientiſſimi Cardinalis?

Vtrumque non eſt veritus tentare Eſtius, inquit enim: *Poſſemus ſine iniuria dicere optimum Baronium hiſtoriæ totum intentum, intimam dogmatum theologicorum notitiam non habuiſſe. Verumtamen illud magis placet, virum doctiſſimum, multa lectione ac ſcriptione occupatum, & ſemper ad alia properantem, non ſatis conſideraſſe ſenſum quæſtionis, quam vt abſolutè propoſitam intellexiſſe videtur; id eſt, Vtrùm aqua vino miſta, quocumque*

modo, ac saltem mediatè conuertatur in sanguinem Christi. Ad eam verò sic intellectam hauddubie quadrat affirmatiua responsio. Verùm, & ego possem plurima non in defensionem tantùm, sed etiam in laudem sapientissimi Cardinalis afferre, paucis tamen contentus ero. Quod ergo ait, ipsum non habuisse intimam dogmatum theologicorum notitiam, vnde quæso colligit? si theologica doctrina omnes Baronij libri referti sunt, & cùm occasio se offert, hæreses fortissimè profligat, quomodo Theologia destitutus est? An quia in scholis fortasse eam non didicit, nec subtilibus disputationibus exercuit? atqui ex Patribus & Concilijs, quibus è fontibus & ipsi Theologorum magistri doctrinam suam hauserunt, eruere potuit. Præterea non est hæc quæstio, quam præ manibus habemus, ex illis, quæ ex subtilissimis Theologorum disputationibus pendeat, sed ex Patribus, Cōciliis & sensu Ecclesiæ, quorum, si quis vnquam alius, peritissimus fuit Baronius, vt proinde eius auctoritas sit meritò maximi facienda. Dum verò secundo loco dicit, non satis eum considerasse sensum quæstionis, non tantùm ignorantiam, siue stoliditatem, sed etiam temeritatem sapientissimo Cardinali obijcit. Quis enim adeò hebes fuerit, qui titulum solummodo illius quæstionis legens, nedum ipsam totam, non intelligat quæstionem esse de immediata aquæ con-

conuersione in sanguinem? si ergo hoc non aduertisset Baronius, profectò stolidus fuisset. Si dicat non ex stoliditate, sed ex inconsideratione factum, vt eius sensum non perceperit, temeritatem illi impingit. Prorsus enim temerè sententiam tam grauem protulisset, ne considerato quidem quæstionis sensu. Considerasse igitur, & percepisse, nemini dubium esse debet: id enim optimi Cardinalis tum sapientia, & prudentia suadet, tum etiam sententia ipsa. Nam eodem pacto loquitur de vino, & de aqua, & inquit simul vtrumque transubstantiari in sanguinem Christi: si enim aqua non immediatè verteretur in sanguinem, non transubstantiaretur, quia hic terminus est proprius huius conuersionis supernaturalis, non in sanguinem, quia in vinum; non simul cum vino, quia quando vinum transubstantiatur in sanguinem, iam ipsa non esset. Quòd si voluisset Baronius mediatè tantùm aquam verti in sanguinem, cur id non explicasset? An, vt breuis esset, subobscurè locutus est? scilicet is ipse est qui verbis parcat, cùm duodecim magnos tomos historiarum ediderit. An explicare nesciuit? Posset fortasse admitti, si rem nouam, & numquam ampliùs auditam vel lectam explicare aggressus esset: atqui ipsi Aduersarij volunt, hanc eorum sententiam esse omnium Patrum & Scholasticorum; quomodo igitur vel igno-

ignorare eam potuit, vel explicare nesciuit sapientissimus Cardinalis? Præterea, si vera est explicatio Aduersariorũ, dicendum erit iuxta Baronij mentem, S.R. Eccles. semper tamquã certum credidisse, aquam in vinum verti in sacrificio Missæ, quod cùm sit philosophicum, immò falsum, esset omnino absurdum. Sed demus etiam veram esse Estij explicationem, adhuc Cardinalis responsio erit pro nobis. Nam inquit intelligendam esse, vt quocumque modo, ac saltem mediatè aqua cõuertatur in sanguinem: hoc est autem, quod nos hîc contendimus, quocumque modo, siue immediatè, siue mediatè in sanguinem verti, nulloque pacto posse simul cum sanguine remanere. Sed quid ad miraculum ab eodem Baronio allatum Aduersarij dicent? An perpetratum fuisse vt probaretur aqua in vinum verti, ac deinde in sanguinem? atqui ibi vinum non aderat, nec in ipsum priùs aqua transiit, sed immediatè in sanguinem. neque consueuit Deus ad res physicas comprobandas miracula patrare. An ipsum negabunt? vel dicent in alium finem editum fuisse? Sed videant, quæso, Catholici, ne id ipsum tentandi aduersus miracula edita in confirmationem conuersionis panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, hæreticis occasionem præbeant. Fateantur ergo necesse est, non solùm grauissimum huius Cardinalis

te-

testimonium sententiæ nostræ maximè suffragari, sed etiam miracula nobis fauere, Patresque omnes à nobis stare.

SECTIO VII.

Ex S. Thoma & aliorum Scholasticorum doctrina eadem sententia confirmatur.

SAncti Thomæ & omnium Scholasticorum auctoritatem obiiciunt nobis Aduersarij,& inde sententiæ nostræ falsitatem argumentantur. cuius argumenti antecedens quàm sit falsum,modò aperiemus,& à S. Thoma incipiemus,cuius auctoritas, & propter insignem vitæ sanctitatem, & propter summam doctrinæ præstantiam, maximi semper in Ecclesia meritò est habita. hunc ergo si ostenderimus esse nobiscum, non erit, cur recentiorum clamores timeamus: ostendemus autem ex duobus præcipuè locis eius Summæ, quam meritò ipsius testamentum eius sectatores appellant.

Prior ergo locus est in tertia p.q.74 .art.8. vbi de hac re agens, hæc habet verba: *Dicendum, quòd circa aquam adiunctam vino, sicut Innocentius tertius dicit in quadam decretali, triplex est opinio. Quidam enim dicunt, quòd aqua adiuncta vino per se manet, vino conuerso in sanguinem. sed hæc opinio stare non potest, quia in Sacramento altaris nihil est, nisi corpus, & sanguis Christi; sicut enim*

enim Ambrosius dicit, ante benedictionem illa species nominatur, post benedictionem corpus significatur; alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ: & ideo alij dixerunt, quòd, sicut vinum conuertitur in sanguinem, ita aqua conuertitur in aquam, quæ de latere Christi fluxit. sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundùm hoc, aqua seorsum consecraretur à vino, sicut vinum à pane: & ideo sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in sanguinem, hoc autem fieri non posset, nisi adeò apponeretur modicum de aqua, quòd conuerteretur in vinum, & ideo semper tutius est, parum de aqua apponere, & præcipuè, si vinum sit debile; quia si tanta fieret appositio aquæ, vt solueretur species vini, non posset, perfici Sacramentum. Hæc S. Thomas ex quibus duas ego elicio conclusiones pro nostra sententia.

Prior est. Aqua si tempore consecrationis non sit conuersa in vinum, non potest permanere, sed conuertitur in sanguinem.

Posterior. Aqua conuertitur in vinum moraliter, siue accidentaliter, non verò substantialiter.

Prior Conclusio probatur. Habet S. Thom. pro inconuenienti, quòd aqua permaneat post consecrationem, sed neque vult mutari in aquam quæ fluxit de latere Christi, neque censet miraculosè destrui, aut in vinum supernaturaliter conuerti, quia miracula non sunt ponenda

nenda sine necessitate: alioqui liceret etiam dicere numquam ab aqua solui species vini, quod S. Thom. negat. igitur si aqua neque permanet, neque in nihilum redigitur, nec semper mutatur in vinum, vel in aliam aquam, relinquitur vt aliquando saltem conuertatur immediatè in sanguinem.

Quid ad hoc dicent Aduersarij? an illum casum, quod aqua non sit conuersa in vinum, esse impossibilem, & pro tali habitum à S. Thoma? atqui longè possibilior est ille casus, quàm fuerit possibile, hoc dici. Nam si S. Thomas existimauit possibile tantam aquam misceri, vt vini species solueretur; & idcirco de hoc admonendum censuit esse lectorem, quomodo id, quod est facilius, scilicet, aquam non conuerti in vinum, neque destruere vinum, non duxerit possibile? An censuit non dari medium inter hæc duo, vel necessariò, aquam vinum destruere, vel à vino destrui? Verba eius contrarium ostendunt, nam ad hoc, vt aqua conuertatur in vinum, inquit *tutius, parum de aqua apponere*; ad hoc verò, vt dissoluatur species vini, non inquit, sufficere, si non parum aquæ apponatur; sed *si tanta*, ait, *fieret appositio aquæ, vt solueretur species vini*, innuens, magnam esse debere aquæ quantitatem, si per eam est species vini soluenda. Præterea, saltem ratione temporis, quando videlicet instante iam consecratio-

ne

ne calicis aqua infunditur, oportet concedere aquam non esse aliquando cōuersam in vinum. quod cùm Aduersarij fateantur, non debent tam malè sentire de D. Thom. vt hoc noluerit ipse admittere. Sed etsi demus, hoc credidisse S. Thomam, iam quod ad conclusioné theologicam spectat, non erit contra nos, quia non negat aquam posse conuerti in sanguinem, si tempore consecrationis adsit, sed negat adesse; eò quòd conuertatur in vinum. quod est philosophicum.

Fortassis dicent, de hoc euentu non cogitasse D. Thom. At, tunc argumentor etiam, vt priùs, ergo non est contra nos. Addo vlteriùs; posse nihilominus ex eius doctrina colligi, quid fuisset dicturus, si hic casus ei propositus fuisset; videamus enim quid ipsius argumenta probent, & habemus eius mentem. Inquit igitur S. Thom. non posse aquam permanere, vino conuerso in sanguinem, quia in Sacramento Altaris post consecrationem nihil est, nisi corpus & sanguis Christi: & probat tum auctoritate Ambrosij, tum ratione, quia alioqui non totum adoraretur veneratione latriæ. At, quis non videat, ex his concludi, aquam numquam permanere cum sanguine? quis non colligat, aquam verti in sanguinem Christi, si ante consecrationem erat in calice, vt supponimus, & post consecrationem ex S. Thom. nihil aliud

est

est in calice præter sanguinem? Quòd si ex argumento S.Thom. hoc non colligebatur, cur conatus est Suarez ipsum dissoluere? ipsius enim hæc sunt verba: *Ad illud verò de adoratione respondetur, non adorare fideles quidquid est in calice: possunt enim esse in calice alia res, vt palea,&c. adorant ergo id quod consecratum est, seu quod sub speciebus vini continetur.* hæc Suarez. Quid igitur iam vlteriùs de sententia S.Thom. litigamus? Suarez conatur eius argumentum dissoluere, nos libenter recipimus, & corroboramus. S.Thomas inquit, totum id, quod est in calice post consecrationem adoratione latriæ venerandum, & nos idem fatemur. Suarez hoc pernegat, & quis adhuc erit qui affirmare audeat, S.Thomam contra nos esse, & cum Aduersariis sentire?

Nolo tamen hîc prætermittere, malè dissolui à Suarez argumentũ S.Thomæ; maximum enim est discrimẽ inter aquam & paleam: nam aqua est per se in calice, & ex intentione sacerdotis, & Christi; & fideles sciunt appositam fuisse, & tamen sine distinctione adorant totum illud quod est in calice, at palea est per accidens, contra intentionem Ecclesiæ & Christi, & præter scientiam fidelium, quare adoratio eorum nullo pacto terminatur ad paleam: aqua efficit vnum simul cum vino, vel cum eius speciebus, ita vt non possit ab ipso discerni, &

I to-

totum illud tamquam vnum Sacramentum proponitur ab Ecclesia adorandum: at palea neque efficit vnum cum vino, neque proponitur adoranda: immò si sacerdos aduertat inesse, ipsam extrahit.

Quantum verò Deo displiceat, aliquid extraneum altaris Sacramento admisceri, miraculo ostendit ipsemet Deus, quod narrat Cæsarius Heisterbachius lib. 9. cap. 65. & refert etiam Iodocus Coccius in suo Thesauro Catholico libro 6. de Eucharistia. Anno videlicet Christi 1218. quamdam hostiam consecrandam patenæ superimpositā sæpè resilijsse, coactumque sacerdotem aliam sumere, eamque consecrare; cuius miraculi cùm causa requireretur, inuentus est in priori illa hostia cimex decoctus, quem noluit Deus, licet ferè inuisibiliter adesset, speciebus Eucharistiæ admisceri.

Nota præterea lector, S. Thomam quæst. 75. art. 2. hoc eodem argumento ex veneratione totius Sacramenti deducto, vti ad probandum non remanere sub speciebus consecrationis ipsam substantiam panis; & à Suarez disp. 49. sect. 2. approbari, & extendi ad singulas partes integrantes illius. si ibi ergo vim habet, cur & hîc non habebit?

Altera conclusio erat, aquam conuerti in vinum moraliter, id est, non verè fieri vinum, sed

ita

ita commiſceri vino, vt ſub nomine vini cenſeatur, & dicatur ſimpliciter in calice adeſſe vinum. Hæc concluſio non eſt tam certa, ſicuti præcedens, eſt tamen valdè probabilis. Primò, quia ſi hoc pacto intellexit S. Thomas aquam conuerti in vinum, optimè & exactiſſimè explicauit hanc aquæ miſtionem: nullum enim dab tur medium inter duos caſus, quos poſuit, quia vel aqua cõuertitur hac ratione in vinum, vel ab ipſa peruertitur vinum, ita vt non poſſit dici ſimpliciter potus vini; nihil erit igitur, quod à S. Thoma ampliùs deſideretur. At, ſi de conuerſione ſubſtantiali locutus eſt, prætermiſit, vel ſaltem non ſatis clarè explicauit caſum illum medium, de quo paulò antè locuti ſumus. Cùm ergo credendum ſit, S. Thomam perfectiſſimè hanc rem totam explicaſſe, aſſerendum quoque eſt de accidentali, ſiue morali conuerſione ipſum fuiſſe locutum.

Probatur Secundò, quia eo pacto intellexit S. Thomas aquam conuerti in vinum, quo iam intellexerat Innocentius, quem ipſe citat; at Innocentium intellexiſſe de conuerſione morali, probabile oſtendimus ſuprà ſect. 4. ergo idem dicendum de S. Thoma.

Probatur Tertiò, quia in hac materia Sacramentorum res non minùs diiudicantur in ordine ad vſum, & communẽ opinionem hominum, quàm ex phyſica ipſarũ natura. Nam &

ipſe Suarez diſp. 64. ſect. 2. loquens de pane confecto ex aqua roſacea, *Quidquid ſit*, inquit, *de ſpecie phyſica, ſatis eſt, illum panem non eſſe vſualem, vt non poſſit eſſe materia huius Sacramenti.* & paulò infrà, *Neque oportet differentiam eſſe ſpecificam, & ſubſtantialem, ſed ſatis eſt, vt ita dicam, quòd ſit vſualis & artificialis*. Clariùs etiam Scotus ſubtilitatum aliàs amator, hic eas refugit, dicens in 4. ſent. diſt. 2. q. 6. *Noluit Chriſtus in Sacramentis ſuis iſtam ſubtilem diſputationem de differentia phyſica imponere nobis, ſed quòd panem triticeum exiſtimatum habeamus pro materia conſecrationis.* Et idem reliqui Scholaſtici ferè omnes ſentiunt. Probabile eſt igitur, idem ſenſiſſe S. Thomam, & propterea non de phyſica conuerſione, quæ ſubtilem continet diſputationē, & parum aptam huic materiæ, ſed de morali & vſuali, quæ magis in his rebus eſt attendenda, fuiſſe locutum.

Sed meliùs hoc ipſum ex altero loco, quem pro noſtra ſententia afferre propoſuimus, explicabitur: eſt autem locus in eadem quæſt. 74. art. 3. ad 3. erat enim tertium argumentum: *Permiſtio ſpeciem ſoluit, ſed vix inuenitur farina triticea, quæ alterius frumenti permiſtionem non habeat, niſi fortè de electis granis ſtudioſè fiat; non ergo videtur, quòd panis triticeus ſit propria materia huius Sacramenti.* Ad quod deinde reſpondet, *Dicendum, quòd modica permiſtio non ſoluit ſpeciem,*

ciem, quia id quod est modicum quodammodo absumitur à plurimo: & ideò si sit modica admistio alterius frumenti ad multò maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia huius Sacramenti; si verò magna sit permistio, putà ex æquo, vel quasi, talis permistio speciem mutat, vnde panis exinde confectus non erit debita materia huius Sacramenti. Hactenus S. Thomas. Ex quibus verbis duas conclusiones, quæ nostræ sententiæ fauent, ex mente ipsius, elicio.

Prior est. Si modicum hordei multo tritico admisceatur, & exinde fiat panis, hordeum dicitur verti in triticum, non substantialiter, sed moraliter & accidentaliter. & hoc sufficit, vt totum vertatur in corpus Christi.

Posterior Conclusio. Idem omnino, & maiori etiam ratione dicendum est de modica aqua, si multo vino admisceatur.

Prior Conclusio probatur ex illis verbis S. Thomæ, *Quod est modicum quodammodo absumitur à plurimo*. cur enim addidit *quodammodo*, nisi quia credebat propriè non absumi, idest, substantialiter in aliud conuerti, sed accidentaliter & moraliter? alioqui enim, non quodammodo, sed propriè & verè absumeretur. Præterea, neque dixit corrumpitur, vel conuertitur, sed absumitur, id est, reputatur ac si non esset. Præterea Tertiò, non dixit, Vna species frumenti modica absumitur ab alia pluri-

ma, ſed modicum à plurimo, oſtendens hanc abſumptionem non eſſe tribuendam virtuti, ſiue, vt aiunt, actiuitati tritici, ſed quantitati; quia in quocumque alio genere modicum abſumitur à plurimo, non quidem phyſicè, ſed moraliter: ſi enim vnicum granum hordei ſit in aceruo tritici, non conſumetur ab ipſo, vt experimento liquet, ſed ita venumdabitur, ac ſi eſſet triticeum: abſumitur ergo moraliter, non phyſicè.

Hanc autem concluſionem non ſolùm eſſe ad mentem D. Thomæ, ſed etiam veram ſecundùm ſe probatur. Primò, quia ſi triticum haberet hanc virtutem in ſe conuertendi hordeum; vel haberet eam ex ſe, vel ex contuſione, vel ex aqua admiſta, vel ex igne. Ex ſe non habere, patet, ſicuti neque ex contuſione, quia neque triticum integrum, neque farinam certum eſt agere in hordeum, vel in farinam hordei. Neque ex aqua, quia hæc neque tribuere poteſt virtutem, quam non habet, neque excitare eam, quam reperit in tritico; quia potiùs eam retundit, & triticum ad corruptionem diſponit. Neque verò ex igne, quia hic, licet ſit maximè actiuus, tamen eius virtus eſt alterius generis, & ad productionem tendit alterius ignis, non tritici, vel hordei; immò in vtrumque agit, vt ipſa corrumpat, non vt alterum alterius conuerſione augeat. Et confirmari hoc poteſt

ex

ex illo loco Euangelij, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*, hoc est, aliud granum non producit: at si posset hordei granum in se vertere, iam & fructum faceret, & solum non maneret, quamuis in terram non caderet.

Probatur præterea, quia eâdem ratione nihil esset in mundo quod non posset alia in se conuertere. nam & lapides & ligna in puluerem redigi possunt; aqua deinde, & modico puluere alterius generis misceri, & omnia apponi igni: ex quo pari ratione sequeretur, vt illud, quod est in maiori quantitate, reliqua cōuerteret in se: & idem, vel simile dici posset de metallis, & de omnibus aliis rebus. quod esset totam philosophiam euertere, & artem chymicam nimis facilem reddere; cùm tamen in ea frustra iam plurimi, etiam ex præstantissimis philosophis, insudauerint.

Confirmatur idem testimonio Aduersariorum: nam Suarez ipse disp. 47. sect. 1. de hac eadem mistione loquens, ita scribit: *Si autē fiat mistio ex aliis frumentis, & maior pars cum notabili excessu sit triticea, censeri potest sufficiens materia, quia in vsu omnium hominū ille panis iudicatur triticeus, aliàs panis confectus ex tritico malè purgato non esset sufficiens. quod est planè falsum. Ratio verò est, quia illa maior pars adiuncta contusione, seu coctione censetur alias particulas tra-*

here ad ſuam ſpeciem, & ita confici miſtum eiuſdem rationis cum pane triticeo. Hæc Suarez. Vbi aduerte, duas ipſum rationes afferre, cur panis ille ſit ſufficiens materia: vna eſt, quia in vſu omnium hominum panis ille iudicatur triticeus; ergo verum eſt, quod ſuprà dicebamus, quidquid ſit de phyſica tranſmutatione, ſatis eſſe quòd moraliter talis cenſeatur. Deinde addit, & eſt Secunda ratio, ſiue confirmatio prioris, quòd maior pars cenſetur trahere alias particulas ad ſuam ſpeciem. Noluit apertè dicere maiorem partem alias in ſe conuertere, quia videbat eſſe contra veritatem, neque tamen apertè negauit, ne ſuæ ſententiæ parum faueret; ita tamen locutus eſt, vt à concluſione ſuprà poſita non videatur abhorrere: nam illa verba *cenſetur trahere*, moralem potiùs quàm phyſicam conuerſionem indicant.

Dicere tamen quis poſſet, non poſſe quidem triticum vertere hordeum in ſe, ſed tamen illud miſtum, quod ex modico hordei, & multo tritico reſultat, addita coctione, non differre ſpecie ab eo quod reſultat ex tritici farina tantùm. Ratio eſſe poteſt, quia vtrobique fit vnum miſtum nouum ſubſtantiale; non eſt autem probabile, quòd totum hoc miſtum differat eſſentialiter ab illo alio toto propter granum hordei tantùm; & poteſt exemplo confirmari, quia quamuis cibi, qui ab homine comeduntur,

tur, sint diuersæ speciei, calor tamen naturalis in sanguinem eiusdem speciei omnes illos transmutat. Ad quod respondeo, primùm quidem inniti hoc dicentes fundamento incerto, supponunt enim, quòd massa differat essentialiter à farina, & panis à massa. quod si cum Scoto, Gabriele, Cano & alijs negemus, ruit totum argumentum: tunc enim non fiet aliquid mistum substantiale nouum per coctionem, & consequenter numquam farina, vel massa hordei mutabit speciem. idemque de farina mista, ac de massa, & de pane misto dicendum erit.

Quòd si etiam concedamus, farinam differre à massa essentialiter, parum refert, quia non minùs potest misceri massa hordeacea cum massa triticea, quàm misceantur ipsæ farinæ; cùm autem massæ miscentur, clarum est, vnam non agere in aliam, & consequenter nullam fieri conuersionem. Si igitur neque panis differt à massa substantialiter, remanebit massa hordeacea in sua specie, sicuti priùs. Secundò, dato etiam illo fundamento, nihil sequitur cōtra nos: nam vel farina hordeacea tanta fuit, vt cum tota farina tritici commisceri potuerit, ita vt nulla daretur pars massæ, quæ simul non haberet & hordeaceam & triticeam farinam: & tunc dico, hoc mistum differre specie à pane triticeo puro, quia reuera componitur ex longè diuersis. Si verò tam modica fuit farina

hordei, vt non potuerit cum tota farina tritici cõmiſceri, dico illam ſolam partẽ,quæ conſtat ex hordeo & tritico, differre ſpecie à triticeo pane puro. Si quæras autem, an hæc pars poſſit cõſecrari? Reſpondeo cum Scoto,quem etiam approbant Suarez, & reliqui, non tam eſſe hîc attendendam ſubtiliter ſpeciem phyſicam, ſed videndum an communiter cenſeatur ille panis triticeus,& an ſenſibiliter,vel notabiliter ab alia parte triticea differat; & iuxta hunc communem ſenſum ferendum eſſe iudicium.

Ad inſtantiam de calore naturali, dico non eſſe ad rem, quia calor naturalis virtute vitali illos omnes cibos in animalis ſubſtantiam conuertit. quare priuat illos propria forma, & tribuit illis ſuam, hic autem non tribuit ignis aliquam propriam formam pani; ſed hæc ex diſpoſitione materiæ reſultat. quare ſequitur etiam præcedentem materiam. quod non euenit in actione caloris naturalis.

Quare ex dictis concludere poſſumus,& ex mente S. Thomæ,Scoti,& aliorum Theologorum,non eſſe in commiſtione hordei,& tritici, ſiue alterius generis frumenti, attendendam diuerſitatem ſubſtantialem phyſicam, ſed moralem: quia illa eſt valdè incerta; hæc autẽ ſufficit ad materiam certam conſtituendam. quod in priori noſtra concluſione intendebamus.

Erat poſterior concluſio. Idem dicendum eſſe

esse de aqua vino mista: quæ probatur tum ad mentem S. Thomæ; tum secundùm veritatem. quia nulla apparet ratio in contrarium; immò potiùs adsunt non paucæ rationes, quæ de aqua id magis dicendum esse probant, quàm de farina hordeacea. Nam aqua miscetur ex institutione Christi, hordeum est præter institutionem eius. Secundò, aqua magis incorporatur & miscetur vino, quia cùm ambo sint liquida, faciliùs se penetrant & permiscentur. Tertiò, difficiliùs aqua discernitur in vino, quàm vel hordeum, vel aliquid aliud in pane triticeo; & ratio est, quia vina habent inter se maximam diuersitatē: quare licet vinum reddatur ab aqua debilius, vel minùs coloratum, cogitare tamen quis potest, tale esse vinum ex propria natura. at verò triticum non tantam patitur diuersitatem, & propterea facillimè cognoscitur, an panis confectus sit ex puro tritico, vel aliquid aliud admistum ei fuerit: si ergo hordeum admistum tritico, dummodo moraliter censeatur in triticum cōuersum, quamuis physicè non sit commutatum, secundùm omnes Theologos dicitur verti in corpus Christi; cur non multò magis id erit de aqua affirmandum, dum moraliter censetur in vinum conuersa, vt sæpiùs explicauimus?

Respondet tamen Suarez, hoc argumentum de pane potiùs probare contrariū, *Quando enim,*

enim, inquit, *aliqua farina hordeacea ita miſcetur triticea, vt tandem totum quod conficitur, ſit panis triticeus, & eiuſdem rationis & ſubſtantiæ, tunc totum conſecratur: ſi verò contingeret particulam panis hordeacei manere interpoſitam pani triticeo, ſubſtantialiter tamen ab illo diſtinctam, re vera non conſecraretur*. & hæc quidem rectè Suarez. Sed applicationem ſimilitudinis ad rem, de qua agebatur, ſiue minorem argumenti ipſe omiſit, quia vel oportebat eum dicere, aquam ita miſceri vino, ſicut farina hordeacea miſcetur triticeæ, & contra ipſius ſententiam concluſio illata fuiſſet, vel, vt, quod volebat, obtineret, aquam ita manere interpoſitam vino, ſicuti panis hordeacei particula pani triticeo. & hoc videbat falſum eſſe, quia vino verè miſcetur aqua. quare ſilentio applicationem ſimilitudinis præteriit, vt hanc quoque præteriret lector, & optimè tamẽ argumentum concludere crederet. Subnectamus ergo eam nos: ſic autem eſt, quòd aqua quæ vino infunditur, ita cum eo permiſcetur, vt ſimul cum vino perficiat vnum totum: quod non minori ratione dicitur ſimpliciter vinum, quàm ille panis cui eſt admiſta farina hordeacea, dicitur panis triticeus, quia vtrumque dicitur moraliter tale, quidquid ſit de ſpecie phyſica. non autem ſe habet aqua, ſicut particula panis hordeacea: quæ licet interponatur pani triticeo, tamen non poteſt

cum

cum eo misceri, & separata sensibiliter manet & distincta: Ergo sicut ille panis simul cum hordeo vertitur in corpus Christi,ita etiam debet verti hoc vinum simul cum aqua. Præterea,quærerem ego libenter à Suarez, an, quando inquit panem confectum ex farina hordeacea & triticea totum esse triticeum, intelligat esse verè triticeum substantialiter & physicè, vel moraliter tantùm? illud dici non potest,nisi supponamus hordeum mutatum fuisse in triticum, quod suprà fieri non posse ostendimus; si autem moraliter tantùm, vt verè dicendum est;ergo multò magis aqua, quæ moraliter in vinum sit commutata, in sanguinem Christi vertetur. Confirmatur ex verbis ipsius Suarez suprà relatis, nam de illo pane triticeo misto inquit,*Censeri potest materia sufficiens, quia in vsu omnium hominum ille panis iudicatur triticeus*: atqui vinum, cui modicum aquæ mistum est, in vsu omnium hominum iudicatur quoque vinum,cur ergo non erit materia sufficiens? Neque verò, vt argumenti vim effugiat, dicere quis potest panem illum, vt triticeum,verti in corpus Christi,non verò vt hordeaceum, quoniam id esset contra communem sensum Ecclesiæ, quæ totum illum panem, vt inquiunt S. Thomas,& Suarez, habet pro vera materia: & maximæ confusionis causa esset, quia non posset sensibiliter distingui id quod ex tritico

est

est in illo pane; ab eo quod est ex hordeo. quæ absurda æquè locū habent in aqua vino mista.

Habemus igitur tum ex doctrina, quam de pane tradidit, tum ex ea quam de vino, S. Thomam sententiæ nostræ suffragari: quamuis enim illam clarè non explicet, ita tamen loquitur, vt ex eius dictis, quæ idcirco à Suarez refutantur, deduci debeat. Et cōfirmatur, quia in 4. sent. dist. 11. q. 2. art. 4. inquit vinum esse principalem materiam calicis: ergo censet aliam esse minùs principalem, hæc autem non potest esse nisi aqua. Nunc breuiter aliquot alios Scholasticos percurramus.

Primus ergo ipsorum, qui Magister sententiarum dicitur, de hac quæstione, vt testatur Gaufredus in epist. suprà allata, verba non facit, ex eius tamen doctrinâ sententia nostra non obscurè colligitur. nam de hoc Sacramento loquens, ait, *Quòd non sit ibi substantia nisi corpus Christi & sanguis, ex prædictis & subditis apertè deducitur*. Sciebat autem Magister apponi aquam, neque poterat esse certus semper conuerti in vinum, & tamen tamquam de re certâ inquit, ibi non adesse aliam substantiam, præter corpus & sanguinem Christi: ergo supponit, aquam, si non conuertatur priùs in vinum, non posse ibi remanere, sed debere conuerti in sanguinem Christi.

Alexander Alensis grauissimus Theologus, &

& SS. Thomæ & Bonauenturæ magiſter, numquam negat aquam in ſanguinem conuerti. Immò noſtræ ſententię fauet, quia inquit p. 4. quæſt. 10. membr. 4. art. 1. §. 5. *non ſufficere, quòd aqua admiſceatur in dolio, quia ſic admiſta nihil faceret ad Sacramentum, quia non admiſcetur, vt tranſubſtantianda in ſanguinem Chriſti*. ergo per Alenſem aqua debet tranſubſtantiari in ſanguinem, & ea intentione admiſceri vino, alioqui fruſtra eſſet poſita, & non faceret ad Sacramentum. Præterea eodem modo loquitur de miſtione aquæ cum vino, atque hordei cum tritico, ſicuti etiam S. Bonauentura, & reliqui ferè antiqui Scholaſtici. quare per conuerſionem aquæ in vinum, probabile eſt, eos intellexiſſe non mutationem ſubſtantialem, ſed moralem, & in ordine ad vſum hominum, vt explicauimus.

De Scoto id probabilius dici poteſt, cùm apertè, vt ſuprà retulimus, aſſerat, non eſſe in hac materia quærendas ſubtilitates phyſicas: clariùs tamen Altiſiodorenſis libr. 4. Summæ tract. 5. c. 2. *Vinum & aquam*, ait, *tranſubſtantiari in ſanguinem Chriſti*.

S. Bonauentura præterea in 4. diſt. 2. qu. 2. art. 4. ait, *aquam eſſe quid annexum materiæ calicis*, ſcilicet vino. quod idem videtur eſſe cum eo, quod nos diximus, aquam non eſſe materiam, ſed commateriam.

Ioan.

Ioan. Gerſon in ſua Summa lib.4.de materia Euchariſtiæ loquens, *Materia neceſſaria,* inquit,*eſt vinum;materia debita,quòd aqua vino miſceatur.*& aſſignans ratione͂, *Quia,*inquit, *Chriſtus ſanguinem ſuum ſub tali ſpecie dedit.*Si autem aqua non ſpectaret ad materiam,multo minus conſtitueret materiam debitam, nec ſub eius ſpecie Chriſtus ſanguine͂ ſuum nobis dediſſet.

Guilielmus Durandus lib.4.Rationalis diuini officij cap.30.num.21. quærens,cur aqua in oblatione benedicatur à ſacerdote, & non vinum,refert quorumdam reſponſionem,quia vinum ſuam benedictionem expectat in conſecratione calicis; & eam impugnat dicens, quòd *in benedictione vini ſub nomine calicis tam vinum, quàm aqua ſimul benedicuntur.* Quibus verbis oſtendit, & aquam in vinum ſubſtantialiter non conuerti ante conſecrationem, & ſimul cum eo conſecrari, hoc eſt enim benedici ſub nomine calicis: & quamuis dicat, tunc totum eſſe vinum, intelligit tamen moraliter,alioqui vana eſſet eius impugnatio; quia aqua non ſimul cum vino benediceretur.

Ex recentioribus quoque non deſunt, qui nobiſcum ſentiant: nam Petrus Soto lect.14. de Euchariſt.idem planè ſentit, inquit enim: *Neque opus eſt ſcrupuloſè inquirere, vbi aqua appoſita maneat: totum enim quod in calice eſt, vinum eſt,& illud conuertitur in ſanguinem Chriſti:* non po-

potuit autem intelligere, totum id quod est in calice, esse vinum substantialiter, quia hoc semper verum non est, & hoc se non quærere per illa verba ostendit, *Non oportet scrupulosè inquirere.* Quid enim aliud poterat hîc ingerere scrupulum, nisi quòd dubium esset, illam aquam esse versam in vinum? nam si hoc certum esset, nullus remaneret scrupulis locus, quia dubium non est, vinum conuerti in sanguinem. Est igitur eius mens, totum quod est in calice, esse vinum moraliter, & totum verti in sanguinem.

Cornelius Iansenius ex ijs, quæ suprà sect. 4. ex ipso retulimus, clarè ostendit, se existimare, aquam, siue versa sit in vinum, siue non, semper in sanguinem verti, & eamdem inquit esse mentem Innocentij III. & idem dici potest de Alfonso à Castro, vt suprà quoque notauimus, & de Alfonso Salmerone.

Gulielmus quoque Alanus insignis Doctor & Cardinalis lib. 1. de Euchar. c. 13. non solùm asserit, aquam, etsi in vinum non sit versa, in sanguinem Christi transubstantiari, sed etiam inquit, *Hoc certa fide est tenendum.* In quo verbo, ait Suarez, ipsum excessisse. & fortè verum dicit, si Alanus de fide diuina locutus est; si autem de fide humana, quæ tamen innitatur etiam principijs fidei diuinæ, nullo modo videtur mihi excessisse: quia si de hordeo admisto cum tritico hoc omnes asserunt, multò magis

debet hoc credi de aqua, totque adsunt pro hac sententia Patrum & Conciliorum auctoritates, totque rationes, & congruentiæ, vt potuerit meritò dicere Alanus, hoc esse certa fide tenendum.

Franciscus Cardinalis Toletus lib. 2. de Instructione sacerdotum cap. 25. eamdem sine vlla hæsitatione pronunciat; inquit enim, *Cum vino est quantitas parua aqua adhibenda, quæ simul est materia, siue conuersa sit in vinum, siue non.*

Alexander Pesantius Romanus in suis non prolixis, sed doctis commẽtarijs super D. Thomam 3. p. qu. 74. art. 8. hanc eamdem sententiam amplectitur, & inquit etiam esse ipsius D. Thomæ.

Robertus Cardinalis Bellarminus, quoniam cum hæreticis erat illi concertatio, hanc controuersiam ex professo non diremit; attamen cap. 2. lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ ad 3. inquit, in calice solum esse Christi sanguinem, quod verum non esset, si etiam adesset aqua.

Didacus quoque Tapia, vt sect. 4. notauimus, hanc sententiam probabilem existimat, & ei non repugnare Innocentium III. vbi etiam Christophorum Gillium, & multos Iuris Canonici interpretes, pro ea adduximus.

Nouissimè Ioan. Baptista Scortia Societ. Iesu lib. 4. de Sacrosancto Sacrificio Missæ c. 1. eamdem amplectitur. Sicuti & Ægidius Coninck

ninck in 3.p.qu.74. art. 8. pro eadem egregiè pugnat, cuius lucubrationes, non nisi postquam hæc scripseram, & iam commentarios in libros Aristotelis de Generatione edideram, in manus meas peruenerunt.

Denique PP. eiusdem Societatis Iesu optimè de Theologia meriti, Romæ degentes, in publicis disputationibus iam sæpiùs eamdem examinandam proposuerunt, & præstantissimè, vt solent, propugnarunt.

SECTIO VIII.

Rationibus Theologicis idem probatur.

MVLTAE iam indicatæ sunt rationes theologicæ pro hac nostra sententia, præsertim sectione superiori, vbi S. Thomæ, & aliorum Theologorum dicta pro ea adducta sunt; hîc tamen alias quoque afferemus non minùs efficaces, vt cognoscat lector, auctoritatibus & rationibus, non ad necessitatē tantùm munitam esse, sed etiam ad superabundantiam hanc nostram sententiam affluere.

Prima ergo ratio sit. Sacramenta id efficiūt, quod significant, vt docent omnes Theologi, & ex Concilijs Florentino in decreto Eugenij, & Tridentino sess. 7. can. 6. colligitur: atqui verba consecrationis calicis, quæ sunt forma

Sacramenti Euchariſtiæ, ſignificant, totum id quod eſt in calice tempore conſecrationis, eſſe ſanguinem Chriſti: nam calicis nomine totum id, quod in eo per modum potus continetur, indicatur; ſumitur enim continens pro contento, vt omnes aſſerunt: ergo ſi tempore conſecrationis adſit in eo aqua ſimul cum vino, ipſa quoque virtute verborum fiet ſanguis Chriſti.

Reſpondet Franc. Suarez, idem argumentum fieri poſſe, ſi vino ſit admiſta gutta mellis, vel alterius liquoris, vel ſi intra panem lateat particula caſei: nam totum hoc, ſcilicet, panis cum caſeo, ſignificaretur per verba conſecrationis corporis, & gutta mellis comprehenderetur etiam ſub nomine calicis; nemo tamen diceret, vel caſeum conuerti in corpus Chriſti, vel mel in ſanguinem. *Reſpondetur ergo*, inquit, *ad argumentum, nomine calicis ex intentione ſacerdotis, ſeu Eccleſiæ, & Chriſti, ad quam ſe debet conformare ſacerdos, ſolum deſignari, quod ſub ſpeciebus vini continetur.*

7. Verùm quis non aduertat inter huiuſmodi exempla à Suarez allata, & rem noſtram, magnum eſſe diſcrimen? nam ſi gutta mellis in calice ponatur ſimul cum vino, eſt omnino contra intentionem Chriſti & Eccleſiæ: conſequenter, quamuis ſignificetur per verba formæ, non mirum ſi non conuertatur in ſangui-

guinē, quia dato vno inconuenienti necesse est alia plura sequi: & idem dicendum est de caseo pani admisto. At aquam misceri vino est ex institutione Christi, & præcepto Ecclesiæ, & ex eiusdem Christi institutione verba formæ ordinata sunt ad significandum illud totum, quod (dummodo ritè ac rectè hoc Sacramētum conficiatur) est in calice. quare etiam contra hæreticos ex verbis formæ colligunt Theologi, & Patres Concilij Tridentini, vt sect. 3. diximus, totum vinum in sanguinem Christi conuerti: ergo dicendum est ex Christi intentione illis verbis comprehendi etiam aquam. Sicut enim si quis crumenam pecunijs plenam alteri tradens diceret, Hoc tibi dono, intelligeretur totum illud donare quod in crumena esset: ita dum Christus siue sacerdos eius nomine dicit, calicem esse suum sanguinem, hoc debet intelligi de toto illo quod est in calice. vnde enim meliùs, quàm ex verbis eius, intentionem illius colligere possumus, præsertim cùm de re grauissima, & discipulis carissimis loqueretur, quibus nulla aderat ratio, cur nollet maximè clarè hoc Sacramentum tradere? Nec de Ecclesia præsumēdum est, aliam esse à verborū propria significatione eius intentionem, præsertim cùm de hoc nusquam admoneat sacerdotem vel fideles, ne in re tam graui, & illa erraret, & isti deciperentur. Quare falsum omni-

no est, quod in responsione dicitur, ex intentione sacerdotis, Ecclesiæ & Christi, nomine calicis, id tantùm quod sub speciebus vini continetur, designari. nec plus virium instantia de melle habet, quàm si quis argumentaretur per illa verba, *Hoc est corpus meum*, non conuerti panem in corpus, quia si super lapidem proferantur, non idem efficerent: & sicut illi responderetur panem conuerti, & non lapidem, quia ex Christi institutione super illum, & non super hunc proferri debent: ita dicimus nos verba consecrationis calicis à Christo fuisse prolata & instituta, vt à sacerdotibus proferantur super mistum ex vino & aqua, non verò super mistum ex vino & melle. quare non mirum, si aqua conuertatur, non verò mel.

Sed Gabriel Vasquez disp. 178. in 3. p. cap. 3. n. 22. alia vtitur responsione, & inquit, *verba consecrationis supra totum calicem prolata demonstrare solùm id quod præcipuè sub speciebus vini in calice continetur, & ex quo denominationem accipit, aliud autem admistum in parua quantitate, aut contentum sub eo, ita vt non possit denominationem calici tribuere, non demonstrari etiam comitanter.* Verùm facilè refelli potest hæc responsio: est enim contra omnem vsum, & omnem animi conceptionem. Quis enim dum diceret, se plenum calicem hausisse, de vino tantùm, & non etiam de aqua mista intelligeretur loqui? quis dum

dum dicit, calicem esse mistum, nomine calicis non intelligit totum liquorem in calice contentum? Præterea in respons. ad 5 fatetur idem auctor, totum quod est in calice, post mistionem aquæ cum vino, dici vinum: ergo aqua comprehenditur nomine vini. Quis ergo non videat, quàm improbabiliter, & parum consequenter loquatur hic auctor, dum concedit, aquam comprehendi sub nomine vini, cùm tamen re vera non sit vinum, & tamen non vult comprehendi nomine calicis, cùm hoc nomen sit indifferens ad aquam, ad vinum, & ad omne quod in eo continetur?

Adiice, quòd ex eius responsione sequeretur, vt, si parum vini albi admistum esset vino rubro, non demonstraretur per verba consecrationis, & consequenter non verteretur in sanguinem. Si dicas, etiam vinum album contineri sub nomine vini, nihil hoc refert, quia in consecratione calicis non dicitur Hoc vinum, sed Hic calix: quæ verba non minùs significare possunt aquam, quàm vinum ex natura sua. quare & ipse Vasquez concedit, quòd si magna aquæ quantitas esset in calice, & parua vini, aquam per nomen calicis significatum iri, & non vinum: ergo ex mente ipsius semper referuntur ad id quod est in maiori quantitate, & non ad illud quod in minori. efficitur proinde, vt minima pars vini albi non demonstrare-

tur per verba consecrationis, nec consecraretur, sed maneret in propria substantia: quia calix ille simpliciter denominatur calix vini rubri. quod est contra decretum Concilij Tridentini suprà sect.3. relatum.

Adhæc, apertissimè falsitatis cōuincitur hęc responsio ex Innocentio, qui li.4. de Mysteriis Missæ c.30. docet, etiamsi plus aquæ sit in calice quàm vini, si tamen aqua saporem vini retineat, Sacramentū perfici: atqui in eo casu secundùm Vasquez aqua significaretur nomine calicis, & non vinū: ergo vel aqua tantùm verteretur in sanguinem, vel nihil conficeretur. Exemplo quoque illius, qui crumenam donat argento & auro plenam, qui vtrumque donare censetur, explicari & confirmari idem potest.

Secunda ratio principalis est. Ecclesia, & omnes Theologi docent vitandas esse in Sacramentis materias incertas, tum quia incerti essemus de Sacramento, tum etiam quia iniuria Sacramento fieret, si fortè verba sacra super rem, quæ non esset eius materia, proferrentur. Multò magis autem docent, non esse proferenda verba, siue formam Sacramentorum super rem quæ nullo pacto potest esse materia Sacramenti; esset enim hoc sacrilegiū magnum. Atqui, nisi concedamus, aquam conuerti immediatè in sanguinem Christi, semper ex Ecclesiæ institutione, proferemus verba conse-

cra-

crationis calicis super materiam, vt minimùm incertam,& aliquando etiam super rem, quam certum est non esse materiam, scilicet super aquam: ergo ne in hoc absurdum incidamus, dicendum est, aquam immediatè conuerti posse in sanguinem.

Probatur minor quoad priorẽ partem, quia numquã possumus esse certi, quòd aqua tempore consecrationis in vinum sit conuersa; & tamen verba consecrationis proferimus super totam materiam quæ est in calice; ergo super materiam incertam.

Respondet Vasquez, numquam fore incertam materiam, si sequamur Ecclesiæ legem præcipientis modicissimam aquam apponi. Sed hæc responsio falsa est, & insufficiens. Falsa, Primò, quia est in quæstione positum apud Philosophos, an aqua conuertatur in vinum? immò ferè certũ est in philosophia numquam conuerti. Secundò, quia data etiam sententia affirmantiũ, non possumus certò definire, quantum temporis ad hoc requiratur, præcipuè cùm vina sint valdè diuersa. Tertiò, qui vtitur vino imbecilli, non facit contra legem Ecclesiæ, quæ circa hoc nihil vnquã præcepit. immò Ecclesiæ mos est, vino albo vti, quod solet esse debilius vino rubro in partibus nostris. Ergo saltem ob vini imbecillitatẽ esse poterit incertum, an aqua tempore cõsecrationis sit in

vinum versa. Non esset etiam sufficiens illa responsio, esto vera esset, quia Ecclesia adhibet omnem diligentiam, vt nullum, quoad fieri potest, sequatur incommodum vel absurdum in hoc augustissimo mysterio peragendo, non solùm seruatis omnibus ipsius legibus, sed etiamsi ob obliuionē, vel negligentiam ministrorum aliquid ab ipsa requisitum omittatur: his enim defectibus Missalis Rubricæ medentur. atqui proferre formam super materiam incertam, est maximum inconueniens; & tamen de hoc vitando quoad aquam non est Ecclesia sollicita: nihil enim præcipit circa hoc, si plus aquæ sit appositum vino, vel si non tempore debito, immò, vt diximus, iubet aliquando apponi, & statim proferri formam super eam; ergo non habet eam pro materia incerta.

Addo, quòd, etiamsi concedamus (quod Aduersarij volunt) aquam in vinum conuerti, adhuc incōueniens non vitetur, quòd scilicet verba proferantur super materiam ineptam. Ratio est, quia nulla fit tam perfecta conuersio, quin semper aliquid non cōuersum remaneat, vt probauimus qu. 52. in lib. de Generat. sect. 5. art. 6. Et patet, quia etsi ignis sit maximè actiuus, & ei apponatur pabulum maximè proportionatum, videlicet palea, vel stuppa, non adhuc eas totas in se cōuertit, sed pars in cineres, pars in fumum resoluitur; ergo cùm aqua

fit

sit maximè vino improportionata, & hoc sit igne longè debilius, necessariò fatendum erit, aliquid aquæ remanere in vinum non conuersæ: erit igitur in calice aliquid, quod non erit vinum, cõsequenter ineptum ad consecrationem, ac proinde super materiam ineptam forma Sacramenti proferetur.

Confirmatur, quia & auctores contrariæ sententiæ fatentur ex aquæ mistione remanere simul cum vino quemdam humorẽ aqueum, quem dicunt à vino per artificiũ extrahi posse; hic ergo humor aqueus, cùm non sit vinum, non erit apta materia sanguinis Domini, & cõsequenter adhuc forma Sacramenti super ineptam materiam proferetur.

Dicet fortè quis, satis esse, quòd sit aliqua pars materiæ certa, ne verba consecrationis otiosè proferantur, vel determinari verba per intentionẽ ministri ad materiam tantùm certam: quia etsi esset in calice gutta olei, non propter hoc desineret vinum esse vera & congrua materia Sacramenti. Sed contrà, quia verba significant totum illud, quod per modum potionis est in calice, vt diximus; ergo ad hoc, vt vera sint, oportet vt totum illud quod est in calice, & per illa verba demonstratur, in sanguinem Christi conuertatur. Confirmatur, quia totus sanguis Christi continetur sub qualibet minima particula specierum: ergo verba

non

non tantùm de toto, ſed etiam de ſingulis eius partibus verificari debent.

Adde, quòd ſi aqua non ſupponitur verbis tamquam materia, vt quid Suarez ſacerdotem monet, vt eo tempore & quantitate aquam apponat, quo poſſit conuerti in ſanguinem, quia dubiis debent præferri certa; & certum eſt, ſi vertatur in vinum, etiam verti in ſanguinem; ſi verò non vertatur in vinum, dubium eſt, in ſanguinem verti? dubium enim & certitudo in materia tantùm, vel forma ſolent attendi.

Aptius videretur exemplum in Sacramento Pœnitentiæ, in quo ſi quis peccata tantùm venialia confiteatur, non opus eſt vt de omnibus contritionem habeat, ſed de vno ſufficit; & tamen abſolutio datur de omnibus peccatis, neque aut pœnitens, aut miniſter ſacrilegium committit, quamuis proferatur forma Sacramenti ſuper materiam, cuius pars altera eſt apta, & altera inepta: idem ergo dici poterit de Sacramento Euchariſtiæ, nullumque eſſe abſurdum, quòd proferantur verba ſuper materiam partim aptam, partim ineptam. Cæterùm neque hoc exemplum euincit. Primò, quia longè maior reuerentia Euchariſtiæ Sacramento debetur, quàm Pœnitentiæ: quocirca nemo vmquam dixit, licitum eſſe adhibere in eo aliquam partem materiæ ineptam; neque nobis licet aliud tradere de Sacramentorum

ma-

materia, quàm à maioribus accepimus. Secundò, primarius effectus Sacramenti Pœnitentiæ est tribuere gratiam, cum qua non pugnant peccata venialia, & idcircò non censentur reddere materiam ineptam: sicuti etiam siquis accedat ad Eucharistiæ Sacramentum cum peccato veniali, quamuis non accedat perfectè dispositus, non tamen mortaliter peccat. Tertiò. Falsò dicitur, si propriè loqui velimus peccata esse materiam Sacramenti: quomodo enim res tam sacra, qualis est Sacramentum, ex re tam execrabili, qualis est peccatum, tamquam ex materia componetur? quomodo peccata, quæ ad præsentiam Sacramenti recedunt & delentur, dici poterunt eius materia? si ergo materia quandoque appellantur, largo modo, siue potiùs abusiuè, hoc est intelligendum, quatenus scilicet sunt quædam conditio prærequisita ad pœnitentiam, sicuti priuatio ad generationem.

Dices, quamuis non sint materia, quatenus committuntur, sunt tamen quatenus proferuntur: confessio enim reuera est materia Sacramenti Pœnitentię. Respondetur etiam oris confessionē appellari in decreto Eugenij *quasi materiam*, vt sciremus, non omnes materiæ cōditiones in ea exactè requirendas. Præterea, respondeo peccaturū sacerdotē, qui absolueret aliquem à peccatis, de quibus sciret ipsum non dole-

dolere: pœnitens autem peccata, de quibus non dolet, non censetur facere materiam absolutionis; quare negandum licere vnquam proferre formam Sacramenti Pœnitentiæ super materiam ineptam. Adde, quòd materia, quæ requiritur apta, est re vera pœnitens ipse, actus verò eius sunt veluti dispositiones materiæ vel applicationes; quia animus, qui videri non potest, per actus externos repræsentatur. Etsi sufficienter repræsentetur per vnum actum, parum refert, quòd talis non habeatur per alium; dummodo hic non tollat sufficientem dispositionem per alium repræsentatam, vt contingit in peccato mortali, non autem in veniali: at verò totum id quod est in calice, supponitur tamquam propriissima materia sanguinis Christi: non est igitur eadem ratio de ipsa, ac de peccatis.

Dicebamus præterea in illa minori secundi argumenti, nisi aqua conuertatur in sanguinē, fore vt aliquando proferantur verba super materiam, quam certò scimus non esse aptam: quod probatur ex Rubrica Missalis, in qua habentur hæc verba: *Si celebrans ante calicis consecrationem, aduertat non fuisse positam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis.* In quo casu certum est in omni sententia, aquam non esse in vinum conuersam, quia hæc conuersio non fit in instanti: ergo certum est, (posita

sita Aduersariorum sententia) proferri verba super materiam ineptam,& hoc ex præcepto Ecclesiæ, quæ tamen non monet sacerdotem, vt intentionem restringat ad materiam tantùm aptam.

Confirmatur argumentum, quia vt Suarez ipse fatetur, docent omnes Theologi, aquam infundi calici, vt conuertatur in sanguinem: sed in hoc casu non potest alio pacto conuerti, nisi immediatè, ergo id intendit & sentit Ecclesia. Adde, quòd Concilium Tridentinum sess. 6. docet remanere dumtaxat species vini, & idem docent omnes Theologi: in hoc autem casu clarum esset remanere etiam substantiam aquæ. Preterea Ecclesia declarat, se habere pro inconuenienti, vt sit alia substantia in calice simul cum sanguine Christi, etiam ipsius aquæ: nam in eadem Rubrica sequitur: *Si id aduertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.* At quid, quæso referret, ponere immediatè ante consecrationem, & non postea, si eodem modo semper remaneret aqua, & nihil per consecrationem acquireret? Neque refert, si dicas, hoc esse per accidens, quòd aqua apponatur immediatè ante consecrationem; tum quia tam venerandum est hoc Sacramentum, vt neque per accidens sit aliquod inconueniens circa ipsum permittendum; vnde videmus Ecclesiam, quoad fieri

po-

potuit, casus huiusmodi præuidisse, & eis prouidisse, tum etiam, quia potiùs est per accidens illa mora, quæ inter mistionem aquæ cum vino & consecrationem intercedit, cùm sit præter institutionem huius Sacramenti, & propter Ecclesiæ ceremonias tantùm introducta. Præterea inquit Sotus, quòd sacerdos magnum sacrilegium committeret, si aquam apponeret, quam certò sciret non cõuertendam in vinum, quia remaneret simul cum sanguine Domini: ergo cùm non sit dicendum Ecclesiam committere magnum sacrilegium, fatendum est non remanere aquam ex ipsius mente, sed conuerti in sanguinem.

Confirmatur, quia ex duobus malis maius vitandum est: sed minus malum est, non adhibere aquam, quàm proferre formam super materiam ineptam, quia illud non spectat ad essentiam Sacramenti; hoc autem spectat: ergo si non crederet Ecclesia aquam esse materiam certam, non præciperet tunc apponi.

Tertiò principaliter, argumentor: Materia consecranda debet esse sensibiliter determinata, ita vt possit sensibus distingui à quacumque alia materia: sed si aqua non est immediatè in sanguinem Christi conuertibilis, vel numquam, vel non semper materia calicis esse poterit huiusmodi: ergo. Maior probatur ex vi pronominis, *Hic*: oportet enim, vt inquit Suarez

rez disp.43.sect.5.vt per ipsam rei præsentiam definiatur,&vt quasi manibus,vel signis ostendatur res, ad quam locutio dirigitur. Et addit Greg.deValentia disp.6.q.2.p.3.hanc demonstrationem fieri debere modo quodam externo,& morali, atque adeò secundùm sensum aliquem externum, vt rectè etiam aduertit Sotus.quare secundùm omnes, si quis præsentes haberet octo formulas siue hostias,& intenderet sex tantùm consecrare,non determinando quas, nulla earum consecrata esset: item non sufficeret remittere suam intentionem in intentionem Dei,quia per hanc non determinaretur sensibiliter materia, nisi per miraculum, quod non est expectandum. Immò addit Suarez disp.43.sect. 7. (cuius auctoritate libenter vtor, tum quia apud Recentiores meritò magna est, tum quia cùm sit ipse veluti dux Aduersariorum,maiorem vim contra ipsos habet) addit inquam Suarez, quòd pars panis in toto existens,non potest per se sola consecrari, nisi sensibiliter designari possit,quia & ratio Sacramenti,& propria ratio huius formæ hoc requirit. Est igitur sensibilis determinatio,vt in maiori dicebamus, necessaria in materia consecranda.Minorem autem,videlicet hanc determinationem,sæpè non reperiri in vino,si aqua non est materia apta,probamus, quia, vt suprà diximus, vel numquam, vel non semper est a-

qua conuersa in vinum, quamuis cum eo sit mista; tunc autem materia consecrabilis esset vinum tantùm, sed non potest hoc sensibiliter designari, quin designetur etiam aqua; quia nullus est sensus qui inter ea discernat: ergo tunc materia non est sensibiliter designabilis. Neque sufficit, quòd quis in mente designet, dicatque intra se, Volo consecrare vinum tantùm, & non aquam. quia hæc designatio est merè mentalis, quę hîc non sufficit, vt diximus. Nam & quando sacerdos ex sex formulis tres tantùm consecrare intendit, oportet, vt sensibiliter eas designet, vel per separationem quoad locum, vel saltem per oculorum obtutum, qui in tres tantùm feratur, vel per aliquod aliud signum sensibile.

Obijcies, Si sacerdos sex hostias ante se haberet, quarum tres triticeæ essent, tres verò hordeaceæ, posset dirigere intētionem ad consecrandas triticeas tantùm, quamuis ab hordeaceis, nec loco, nec alio signo externo separatæ essent, quia satis censentur distinctæ, eò quòd diuersam habeant naturam: ergo similiter licebit consecrare vinum tantùm, quamuis cum aqua confusum, quia satis est quòd per naturam suam, quæ sensibus abundè percipitur, distinguatur. Respondeo, & antecedens non carere difficultate, & consequentiam non admittendam: non caret difficultate antecedens,

dens,quia pronomen *hoc*,debet ferri in aliquod ſenſibus deſignatum : non videtur ergo ſufficere,quòd illæ hoſtiæ ſint natura diſtinctæ,ſed oportet etiam, vt provt diſtinctæ ſenſibus obiiciantur. quod hîc non contingit. Vnde ſi ſacerdos credens vnam tantùm habere hoſtiam præſentem, duas tamen reuera habeat, ambas conſecrat;quia de ambabus verificatur pronomen *Hoc*,& vna non fuit ab altera ſenſibiliter diſtincta.

Eſt quoque neganda conſequentia,quia illæ hoſtiæ ſunt verè à parte rei diſtinctæ,& ſenſibiliter deſignabiles,vnde & poſt conſecrationem non confunderentur, ſed poſſent conſecratæ à non conſecratis ſeparari. At in calice vinum & aqua ita ſunt inuicem confuſa & permiſta, vt neque ante, neque poſt conſecrationem diſtingui poſſint, vel ſeparari; niſi fortè per aliquod artificium,quod neque congruum eſt adhiberi, neque de eo eſt ratio habenda, cùm, vt rectè etiam dicebat Scotus, non ſint Sacramentorum res ſubtilitatibus his definiendæ : ergo non eſt par ratio de illis hoſtiis & de hoc miſto.

Quartum argumentum, quod etiam pro confirmatione tertij deſeruire poteſt, eſt ab inconuenienti:quia data Aduerſariorum opinione,ſequeretur, nos certos non eſſe poſt conſecrationem, ſub qualibet gutta illarum ſpecie-

rum ſanguinem Chriſti contineri: hoc autem eſt maximè abſurdum, ergo & illud ex quo ſequitur. Conſequentia probatur, poſito caſu, de quo Suarez ſect. 4. diſp. 65. nempe, ſi contingat, aquam conuerti in vinum, vel ante finitam formam, vel in eodem momento, in quo perficitur forma cõſecrationis, aut immediatè pòſt; tunc enim affirmát, conſequenter ad ſua principia, quòd aqua verteretur in vinum, & illud vinum non verteretur in ſanguinem, ſed ſimul eſſet cum ſanguine in calice: ergo poſito hoc caſu immediatè poſt conſecrationem adeſſet aliquod vinum in calice quo ad ſubſtantiam non conuerſum in ſanguinem: numquam autem nos poſſumus eſſe certi, an iſta conuerſio aquæ in vinum fiat ante prolationem verborum, vel dum ipſa verba proferuntur: ergo numquam poſſumus eſſe certi, quòd poſt conſecrationem immediatè, nihil ſubſtantiæ vini ſit in calice. Hoc autem eſſe inconueniens probatur. Primò, quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. can. 2. docet, remanere dumtaxat accidentia vini, & anathematizantur contrarium dicentes, ergo pro certo habet non remanere ibi vini ſubſtantiam. Item can. 3. *Si quis*, inquit, *negauerit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit*: ergo ſentit ſub qualibet gutta illa-

rum

rum ſpecierum vini adeſſe ſanguinem Chriſti.

Neque effugies ſi dicas, Concilium loqui de Sacramento Euchariſtiæ, vinum autem, quod non vertitur in ſanguinem Chriſti, non eſſe Euchariſtiam, quoniam nomine Euchariſtiæ intelligi debet id quod pro Euchariſtia veneratur Eccleſia: alioqui poſſet etiam aliquis dicere, Chriſti ſanguinem eſſe tantùm ſub extima ſuperficie vini, & illam ſolam eſſe Euchariſtiã; neque hoc eſſe contra Concilium, quod tamen reuera eſſet: Eccleſia autem tamquam veriſſimum Euchariſtiæ Sacramentum totum illud veneratur, quod poſt conſecrationem ſub vini ſpeciebus repræſentatur.

Præterea, ſi quælibet gutta à cæteris vini ſpeciebus ſeparetur, nemo eſt fidelium, qui in ea ſanguinem Chriſti non agnoſcat & veneretur; & illi omnem reuerentiam ſanguini Chriſti debitam exhiberi præcipit Eccleſia: ſignum eſt ergo certum haberi ſub qualibet particula illarum ſpecierum adeſſe ſanguinem Chriſti.

Dices, ita vinum de nouo ex aqua productum commiſtum eſſe cum reliquis ſpeciebus vini, vt non poſſit ſeparari, & idcirco ſub qualibet gutta, immò etiam particula guttæ adeſſe ſanguinem Chriſti. Verùm hoc dici nequit iuxta eorum principia: nam in vera miſtione hoc tantùm contingit, vt quælibet pars mixti ſit miſta; hîc autem non fit, vt ipſi quoque fa-

tentur, vera miſtio; alioqui oporteret, vt ex duobus corruptis tertium produceretur: non ergo ita ſunt confuſæ partes, vt omnino non poſſint ſeparari. Confirmatur, quia differt accretio viuentium ab accretione non viuentium; quòd illa creſcunt in omnem ſui partem, hæc autem cùm accreſcant tantùm per iuxta poſitionem, ex ea parte tantùm creſcunt, ex qua noua materia eis apponitur: Vinum autem ſi aquam in ſe conuertit, non accreſcit inſtar viuentium, quia caret anima, ergo non creſcit in omnem partem, ſed tantùm per iuxta poſitionem: ergo non in omni ſua parte recipit augmentum, conſequenter non cum qualibet parte ipſius eſt pars vini denuo producti cõmiſta.

Quartò, cadat gutta huius vini ſuper linteum, videmus partes tenuiores vini exteriùs diffundi, quæ vel ſunt aqua, vel illud vinum, quod ex aqua factum eſſe dicunt Aduerſarij; ergo tunc ſaltem vinum non conſecratum à conſecrato ſepararetur, & tamen Eccleſia totum habet pro ſanguine Chriſti. Si dicas, totum haberi pro ſanguine Chriſti, quia Eccleſia neſcit diſcernere inter vinum conſecratum, & non conſecratum. Contrà, primò enim ſequeretur, quòd idem dicendum eſſet, ſi nouum vinum poſt conſecrationem calici infunderetur, de quo tamen omnes affirmant haberi pro non conſecrato. Secundò, ſi de hoc dubitaret

Ec-

Ecclesia, præciperet eo pacto seruari totum illud vinum, vt vtrumque periculum & idololatriæ, & etiam contemptus sanguinis Christi vitaretur. Tertiò, si nequeunt discerni post consecrationem, hinc roboratur nostrum argumentum, neque ante consecrationem posse discerni, & consequenter vinum mistum non esse consecrabile sine aqua admista, vt hæc inconuenientia vitentur.

Quintò, principaliter argumentor, sacerdotem, qui corpus & sanguinem Domini tantùm sumpsit, ieiunum esse Ecclesia non dubitat; sed si aqua in sanguinem non verteretur, non posset de hoc esse certa: immò aliquando non esse ieiunum pro explorato haberet: Igitur, &c. Maior probatur, quia quando permittit sacerdotibus sæpiùs in die Sacrum facere, vt in die Natalis Domini, præcipit, vt ablutionem non sumant, ne ieiunium frangant, cap. *Ex parte.* de celebrat. Missarum, quod alioqui censet non frangi per Sacramenti sumptionem, cùm in eo nullam adesse substantiam præter corpus & sanguinem Domini supponat: quapropter etiam Hostiensis in cap. *Cùm Martha.* de celebrat. Missar. hinc probat, non remanere aquam in calice post consecrationem. Minor probatur, quoniam cùm non possit Ecclesia esse certa, an tempore consecrationis aqua sit conuersa in vinum, si aqua in sanguinem non

transſubſtantiaretur; neque poſſet eſſe certa, aquæ ſubſtantiam in calice non eſſe, & conſequenter ſacerdotem eſſe ieiunum. aliquando etiam certum eſſet, ieiunum non eſſe, vt in caſu illo, quando inſtante iam conſecratione aqua apponitur.

Reſpondet ad hoc Suarez, ſatis eſſe, vt probabiliter credatur, aquam eſſe conuerſam in vinum; in ſecundo autem caſu, quando certum eſt, non eſſe conuerſam, conſultius eſſet, inquit, vt ſacerdos ſe exiſtimaret non ieiunum, neque iterum conficeret: quamuis ſi vellet alteri opinioni adhærere, non damnarem illum.

Verùm, meo iudicio, non ſatisfacit, quia Eccleſia non tantùm probabiliter credit, ſed etiam pro certo habet, huiuſmodi ſacerdotem eſſe ieiunum: alioqui enim cùm nulla adſit neceſſitas pluries in die celebrandi, non exponeret illum periculo celebrandi non ieiunum, quia hoc maximè ſolet vitare Eccleſia. quare neque ad communicandum infirmum in periculo mortis, cenſent Doctores, poſſe ſacerdotem celebrare non ieiunum, vt refert idem Suarez diſp. 68. ſect. 5. Neque eſt credibile, Eccleſiam, ſi hoc pro comperto non habuiſſet, non aliquid conſuluiſſe circa hoc ſacerdotibus, vt periculum frangendi ieiunium vitarent, ne in eo quidem caſu, in quo concedunt Aduerſarij certum eſſe ſacerdotem non eſſe ieiunum,

eſſet

esset etiam res quæ sacerdotum conscientias scrupulis illaquearet : semper enim timerent, ne vel ex debilitate vini, vel ex maiore aquæ apposita quantitate, remansisset aqua post consecrationem, & consequenter ipsi non essent ieiuni. Esset etiam contra mentem Ecclesiæ non celebrare secundam Missam in die Natalis Domini in illo secundo casu, quando quis certus est, aquam non fuisse in vinum conuersam, cùm Ecclesia absque vlla huiusmodi exceptione moneat tres Missas celebrandas esse.

Confirmatur, quia S.Thomas hoc eodem argumento vtitur qu.72.art.2.ad probandum non remanere post consecrationem substantiam panis.

Quod verò aliqui dicunt, etiamsi maneat aqua, non frangi ieiunium, quia sumitur simul cum Sacramento, friuolum est. quia etiam purificatio calicis semper sumitur cum aliqua sanguinis particula, & tamen Ecclesia per eam frangi ieiunium existimat. Præterea, per illius aquæ sumptionem reuera ieiunium naturale soluitur, quod tamen secundùm omnes prærequiritur ad celebrationem. Et confirmatur, quia cùm Ecclesia strictissimè velit hoc ieiunium obseruari, non decet absque illius auctoritate, quæ hîc non adest, aliquam exceptionem fieri.

Sextò principaliter, quoad sensus nostros,

& existimationẽ humanam nullum est discrimen inter vinum quod habet aquã admistam, nondum tamen in se conuersam, & vinum quod illam in se iam conuertit: ergo vtrumque est materia æquè apta ad consecrationem. Antecedens sensibus patet, quia nemo est, qui gloriari possit, se cognoscere, quando aqua iam sit conuersa in vinum: nam & color, & sapor, quales percipiuntur immediatè post infusionem aquæ, tales quoque sentiuntur si diu pòst iisdem sensibus admoueantur; neque minùs censetur quis bibere vinum dilutum, quando illi multo antè infusa fuit aqua, quàm si tunc, cùm illud est potaturus, ei apponatur. & quamuis aliqui dicant melius esse longè antea misceri vinum, non tamen aliam afferre solent rationem, nisi quia per illud temporis interuallum magis se penetrant, & perfectiùs vinum & aqua permiscentur. Probatur consequentia; quia sicuti Christus instituere voluit hoc Sacramentum in rebus quæ communiter cibo & potui deseruiunt; ita etiam Ecclesia ab ipso edocta has materias considerat in ordine ad vsum communem & hominum existimationẽ, non autem, vt etiam notabat Scotus suprà citatus sect. 7. has physicas subtilitates & à sensibus remotas: cùm ergo vtrumque in vsu hominum æquè censeatur vinum dilutum, vel dicendum est temperatum vinum posse esse materiam

teriam

teriam Eucharistiæ,& semper esse poterit,siue aqua sit conuersa in vinum,siue non:vel negandum omnino vinum dilutum esse posse materiam aptam, (quod tamen nemo dicet) & sic etiam illud,quod in se iam aquam conuertisse dicitur,non erit apta materia calicis.At obiicit Suarez.sicut dicitur dilutum absolutè vinum, licet particulam aquæ admistam habeat, ita dicetur sanguis Christi post conuersionem, licet eamdem particulam aquæ admistam habeat. Ad quod respondeo , primùm negandam esse consequentiam : nam aqua solet uiisceri vino, & sub vini nomine comprehendi ; at non solet misceri cum sanguine , neque consequenter sub illius nomine intelligi ; præcipuè si loquamur de sanguine viuo , qualis est in calice,cum quo numquam est aliqua gutta aquæ admista, alioquin miraculum non fuisset ex latere Christi aquam simul manasse cum sanguine.

Deinde comprehenditur aqua sub nomine vini,quia eius accidentia participat; vel saltem ita permiscetur & confunditur cum vino, vt ipsorum accidentia non discernantur ; & quoniam accidentia vini multò magis sensibilia sunt , quàm aquæ , ipsa ferè sola sentiuntur,& ita videtur aqua accidentibus vini affecta , & à vino absorpta; at verò non possumus dicere, aquam ita permisceri cum sanguine Christi,neque ab eius accidentibus vllo modo affici:non

rectè

rectè igitur ſub illius nomine comprehenderetur. Præterea, verborum formæ efficacia & reuerentia quæ debetur ſanguini Chriſti, eiuſque dignitas non patiuntur, vt aliquid, quod ab eo ſubſtantialiter differt, ſub ipſius nomine comprehendatur. quæ ratio non habet locum in vino.

Ad hæc, argumentum contra ipſum Suarez retorquetur, nam vel aqua comprehēditur ſub nomine vini, & ita conuertetur vi formæ in ſanguinem Chriſti; vel non comprehenditur, & multò minùs poterit ſub ſanguinis nomine intelligi. Si verò quis dicat, eodem argumento poſſe contra nos Suarez vti, vt ſolet in huiuſmodi dilemmatibus euenire. v. g. ſi vrgeat, vel ſub nomine vini comprehenditur aqua, & comprehendetur ſub nomine ſanguinis; vel non comprehenditur; ergo non poterit conuerti in ſanguinem.

Reſpondeo, hanc retorſionem contra nos vim non habere: & ratio eſt, quia prius eſt, aquam vel comprehendi, vel non comprehendi ſub nomine vini, quàm ſub nomine ſanguinis: conſequenter dum tibi concedo comprehendi ſub nomine vini, antequam poſſis inferre, Ergo comprehenditur ſub ſanguine, iam conuerſio vini facta eſt; ac proinde ſi ipſa cenſetur idem cum vino, iam eſt in ſanguinem conuerſa, & tunc opus non eſt, vt ſub nomine ſanguinis

nis comprehendatur, cùm verè sit sanguis: si verò sub nomine vini non comprehenditur etiam aqua, iam patet neque subintelligi posse in sanguinis nomine; quare argumentum pro nobis tantùm militat, non autem contra nos.

SECTIO IX.

Ex Aduersariorum verbis eadem sententia colligitur.

EA est veritatis vis, vt suos Aduersarios, vel inuitos testimonium sibi perhibere non rarò cogat. quod in hac quæstione contigisse, nunc demonstrandum suscipimus, vt nostræ sententiæ quanta sit, & quàm perspicua veritas, innotescat.

In primis ergo fatentur Aduersarij, sententiam illam, quæ asserit, aquam vino mistam manere post consecrationem in propria specie, relictam fuisse ab Innocentio, tanquam minùs probabilē, & ab omnibus Scholasticis reiectā, vt sectione prima retulimus. Quid autem aliud hoc est, quàm suo se gladio transuerberare, & foueam, in quam incidant fodere? in hoc enim controuersia nostra versatur, quòd volumus nos, aquam non remanere, & consequenter verti in sanguinem, si antea non sit facta vinum; ipsi verò volunt, non conuerti in sanguinem,

nem,& proinde in propria ſubſtantia poſt cõſecrationem,aliquando ſaltem,permanere. Dicent fortè damnandam illam ſententiam, quæ aſſerit, aquam ſemper permanere, non verò eam,quæ aliquando.

Verùm, quiſnam Theologorum hanc reſponſionem non damnet? dum enim res ſcientificè tractantur,quę de eis indefinitè proferũtur,debent vniuerſaliter intelligi,alioqui eſſent contingẽtia,quæ ſub ſcientiam non caderent. Hinc videmus indefinitè dici vinum verti in ſanguinem, panem in corpus Chriſti, hominẽ eſſe rationalem,& alias innumerabiles concluſiones certiſſimas & vniuerſaliſſimas indefinitè proferri, neminemque dubitare,an ſemper, vel aliquando tantùm ſint veræ. Præterea,etſi non omnes propoſitiones indefinitæ æquiualerent vniuerſalibus,ſaltem hoc verum eſſet de negatiuis: negatio enim, vt Dialectici docent, hac vi pollet, vt totum & omnino neget, & vniuerſali æquipolleat. Quare etiamſi ſemel tantùm in anno aqua remaneret in calice, falſa eſſet hæc propoſitio, *Aqua non remanet*; & vera hæc, *Aqua remanet*, vt in re ſimili tradit Lud. Molina 1.p.q.14. art.13. ad 4. & ipſemet Suarez ſuo tom.3. in 3.p.diſp.48.ſect.2.§. *Ad argumentum*. Quocirca etiam diuinæ legis interpretes docent,pręcepta negatiua obligare ſemper,& ad ſemper. *Non occides*,inquit Deus indefinitè

finitè, & quis tam impius vel plumbeus eſt, vt dicat prohiberi tantùm, vt non ſemper occidamus, non verò, vt aliquando? Cùm igitur omnes Scholaſtici, & omnes Patres doceant aquam non remanere in calice poſt conſecrationem; quis non videat, quàm improbabiliter hoc negatiuum axioma non vniuerſaliter, ſed in aliquibus tantùm caſibus verum eſſe dicatur? Cur enim, ſi aliquando remanet aqua, aliquando non remanet, dixerunt omnes abſolutè non remanere, & ſententiam illam, quæ remanere dicebat, vt omnino improbabilem reiecerunt? Præterea, vel qui aſſerebant aquam permanere, intelligi debent vniuerſaliter, vel particulariter: ſi vniuerſaliter, ergo multò magis ita intelligi debent, qui negant permanere, cùm negationis ſit maior vis quàm affirmationis: ſi particulariter, ergo cùm per Aduerſarios verum dicerent, immeritò impugnantur; vel ſi non immeritò, vt verè dicendum eſt, damnata eſt ſententia, contra quam nos modò diſputamus, quæ affirmat aliquando aquam poſt conſecrationem remanere.

Præterea, id ipſum rationibus oſtenditur. Nam, vel ex eo, quòd aqua remaneat, ſequitur aliquod inconueniens, vel nullum; ſi nullum, cur ergo non poterit remanere ſemper? curúe illa ſententia damnatur, ad quam nullum ſequitur incommodum? ſi aliquod ſequitur, cur ali-

aliquando concedemus permanere? numquid quia rarò accidit, permittendum erit aliquod incommodum contra sanctissimi Sacramenti dignitatem,& reuerentiam? quis hoc affirmare audeat?

Confirmatur, quia nullum omnino argumentum fieri potest contra illos, qui simpliciter asserebant, aquam permanere, quod æquè contra nostros Aduersarios, qui aliquãdo tantùm permanere dicunt, contorqueri non possit. Nam ipsemet recentiorum doctissimus Alani sententiam,quæ nostra etiam est,referens, *Fundamenta*,inquit, *potissima huius sententiæ sunt eadem, quæ contra secundam sententiam posuimus.* Atqui si eadem sunt, quomodo ergo paulò suprà firmissima erant, nunc sunt infirmissima? contra alios validissima, contra ipsius sententiam imbecillima? saltẽ docuisset nos pulcherrimum hoc artis genus, quo idem gladius semper in manibus nostris ferreus esset & acutissimus, in aduersariorum plumbeus & obtusus. Ipse certè nullam attulit rationem, qua ostenderet argumenta secundam illam sententiam profligantia, non æquè suam ipsius contererer: attamen, vt oculatissimus erat, subaspexit hunc scopulum,vtque euaderet,dixit: *Si interdum contingat consecrationem fieri ante conuersionem aquæ in vinum, non sequitur aliquod incommodum:magis quidem decet, vt si commodè fieri potest,*

test, aqua priùs in vinum conuertatur, & hoc sensu intelligenda & acceptanda sunt, quæ contra secundam opinionem dicta sunt; si tamen aliud accidat interdum, non refert.

Verùm hæc eius responsio (bona venia tanti viri dixerim) nec sibi constat, neque eius superiùs dictis cohæret, atque omni probabilitate caret. Non sibi constat, nam primùm ait, nullum sequi incommodum, quòd aqua remaneat; deinde magis decere, quòd non remaneat; postremò non referre, siue maneat, siue non. At, si non refert, quomodo ergo magis decet, vt non remaneat? numquid nihil refert, vt quàm decentissimè hoc Sacramentum peragatur? si etiam nullum sequitur incommodum ex eo quòd aqua remaneat, vnde nobis constare potest magis decere, vt non remaneat? Neque etiam, eius superiùs dictis cohæret, nam quomodo vir grauissimus atque doctissimus secundam sententiam suprà reiecit ob argumenta, quæ aliquid concludunt, quod nihil refert? sique nullum sequitur incommodum ex eo quòd aqua permaneat, quomodo suprà tot incommoda intulit ex illa secunda sententia, quæ hoc idem asserebat? Verùm inquit, *Illa argumenta in hoc sensu acceptanda sunt*, scilicet, vt non aliquod incōmodum inferant, sed tantùm id, quod magis decet, probent; cur ergo ibi nos de hoc non admonebat, verùm

tamquam firmiſſima, & omninò expugnantia argumenta proponebat? Præterea, vel illa argumenta ſunt omnino inutilia, vel efficaciter, & vniuerſaliter id quod intendunt, euincunt; deducuntur enim ex veritate formæ: nam ſi inquit ipſe, *Non totus ille liquor, qui in calice continetur, eſt ſanguis, forma non eſt ſimpliciter vera*: ex adoratione Eccleſiæ & ſimilibus. Formam autem Euchariſtiæ eſſe veram non tantùm magis decet, ſed omnino neceſſariò & ſemper fatendum eſt: Eccleſiam non committere idololatriam in veneratione Sacramenti, non tantùm magis decet, ſed de fide eſt: ergo non datur medium, ſed vel illa argumenta efficacia ſunt, & noſtram quoque probant ſententiam; vel inefficacia, & fruſtra contra illam ſecundam ſententiam ſunt adducta. Quare, & ipſemet conatus eſt quidem ipſa diſſoluere; quomodo autem probarent ſaltem aliquid, quod magis deceret, aggredi non eſt auſus. Adde, nec ſuis principiis eſſe conſentaneum, quod ait, non referre, ſi interdum aqua remaneat: nam ſuprà dixerat, hac intentione miſcendam aquam, vt in ſanguinem conuertatur, & paulò pòſt apponendam aquam in ea quantitate, quæ poſſit conuerti ante conſecrationem, quia certa incertis ſunt præferenda. At ſi non refert, quòd conuertatur, vt quid hoc intendam, & ita me gerere ſatagam, vt conuertatur?

Poſtre-

Postremò, probabilitate caret illa responsio. quo pacto enim verisimile est, omnes Scholasticos, & Patres conuenisse in ea sententia reijcienda, ex qua nullum incommodum sequeretur, sed illud tantùm, quòd non magis deceret? Certè S. Thomas inquit, illam sententiam non posse stare; Didacus Nuñez esse temerariam; Sotus, si quis apponeret aquam, quam sciret permansuram, fore sacrilegum; Doctores Conimbricenses, falsitatis conuinci; Ioseph Angles in 4.d.8. inter errores numerat; Patres sancti in eodem ferè albo cum sententia, quæ negat vinum conuerti, eam reponunt: nam absque vllo discrimine, vinum dicunt & aquam in sanguinem conuerti; Card. Baronius eam appellat hæresim; Card. Alanus contrariam certa fide tenendam. Quis igitur credat ex hac sententia nihil sequi incommodi, & in hoc sensu accipienda esse ea omnia, quæ contra illam & Patres, & Scholastici proferunt? Præterea si ob illud tantùm reiecta est illa sententia, quòd aliquid minùs decens poneret, ergo etiam reijcienda Aduersariorum sententia, ex qua idem minùs decens sequitur. At inquit ipse, tunc tantùm magis contrarium decere, quando cōmodè fieri potest: ergo dicent auctores secundæ sententiæ, si numquam commodè fieri possit, vt nos asserimus, & Aduersarij ipsi numquā contrarium probauerunt, non erit minùs de-

cens,aquam ſemper permanere. Ego verò, Ergone dicam, ex noſtro commodo, vel incommodo aliquid decebit, vel non decebit Sacramentum? numquid eius natura mutabilis eſt, vt hoc nunc deceat, quia commodum nobis eſt; paulò pòſt dedeceat, quia nobis incōmodum? quis non videat, quàm incommodè hæc dicantur?

Poteſt quidem ex noſtro incommodo aliquid, quod non magis deceat hoc Sacramentum, permitti, vt ſi in vino paululùm aceſcente, ſed nondum aceto conficiatur: at propter noſtrum vel commodum, vel incommodum non deſinet magis hoc Sacramentū decere vinum optimum, quàm aceſcens: ergo ſi non decet aquam permanere, quidquid ſit de noſtro commodo, ſemper non decebit.

Probabilitate quoque deſtituta eſt illa reſponſio, ſi rationes ſpectemus, quæ & efficaciter & vniuerſaliter concludunt, aquam permanere non poſſe, quòd de vnaquaque ſingillatim oſtendere facile foret, niſi abunde hoc iam conſtaret ex dictis. Hic proſequamur ergo oſtendere, ſententiam illam de aquæ permanentia, non tantùm vt plurimùm, ſed etiam vt ſemper falſam, fuiſſe à Patribus & à Scholaſticis reiectam.

Argumentor igitur Quartò, à ſenſu diſtributiuo ad collectiuum. Poteſt per Aduerſarios

aqua

aqua remanere cum his, & cum illis,& cum quibuſcumque aliis Sacramenti ſpeciebus, ergo & cum omnibus. Antecedens patet, quia ſi dicunt poſſe interdum permanere,non eſt vlla ratio cur aliàs permanere non poſſit; quamuis enim dicere poſſint,tunc non permanere,quādo aqua in vinum eſt conuerſa, tamen quòd nunc fuerit aqua in vinum conuerſa,eſt omninò per accidens. quare de vnoquoque Sacramento Euchariſtiæ, ſeu de quibuſlibet ſpeciebus ſigillatim verum erit dicere, nullum eſſe incommodum, nullum inconueniens, quod cum ipſis aqua permanſerit. Patet autem conſequentia, quoniam, quamuis hoc argumentū à ſenſu diſtributiuo ad collectiuum in rebus fortuitis, & in liberis non valeat ob moralem repugnantiam, quæ ſine phyſica impotentia intercedere poteſt;in rebus tamen naturalibus, in quibus moralis repugnantia locum non habet,eſt optimum. At verba conſecrationis modo naturali, quamuis ſupernaturali virtute,operantur,& nihil in Sacramento eſt,quod poſitis requiſitis ab hominum arbitrio, vel caſu pendeat: ergo ſi poteſt in vnoquoque Sacramento aqua remanere, poterit etiam in omnibus. Si dicas moraliter eſſe impoſſibile, quòd aqua numquam cōuertatur in vinum; reſpondeo, cùm hoc pendeat à virtute naturali vini, nullo pacto eſſe impoſſibile. Secundò non

tam hinc nos contendere, posse effici, vt aqua numquam conuertatur in vinum, quàm si fiat, nullum esse absurdum: ridiculum enim esset asserere, Patres impugnando illam sententiam, nihil aliud intendisse, quàm moraliter esse impossibile, aquam numquam conuerti in vinum. Si ergo ex hoc tantùm impugnatur illa sententia, quòd non sit verisimile semper eo modo apponi vinum & aquam, vt aqua non conuertatur in vinum, posito quòd hoc fieret, nullum aliud sequetur absurdum: ex parte igitur Sacramenti nullum erit incommodum, quòd aqua semper permaneat, quod hîc intendimus.

Quintò, si sensus Patrum & Scholasticorũ fuisset impugnare eam sententiam in eo tantùm euentu, quando aqua vertitur in vinum, reiecissent eam, tamquam omnino hæreticam: ergo, cùm vt talem non reiecerint, signum est, non dependenter ab illo casu, sed vniuersaliter eam respuisse. Antecedens patet, quia quando aqua conuersa est in vinum, iam est de fide ipsam conuerti in sanguinem, quia non est amplius aqua, sed vinum: & de fide est totam vini substantiam conuerti in sanguinem Christi; ergo cùm damnata tamquam hæretica communiter non fuerit illa sententia, signum est reiectam fuisse in alio sensu, id est, supposito quòd aqua non sit versa in vinum. Vel dicendum est, ipsos voluisse tantùm reiicere sententiam

tiam illam philoſophicam, quòd aqua non conuertatur in vinum. quod ſanè ridiculum eſſet, & iam ſuprà à nobis impugnatum ſect. 6.

Præterea Sextò, ponamus in omni conſecratione aquam remanere, quæram tunc ab Aduerſarijs, vel erit inconueniens reſpectu omnium conſecrationum, vel tantùm reſpectu aliquarum; ſi reſpectu omnium, ergo numquam debet concedi, aquam remanere. quis enim adeò ſtupidus erit, vt dicat, ſi aqua remaneat in hac Miſſa tantùm, nullum eſſe incōueniens; ſi verò remaneat in hac, & in alijs, tunc eſſe inconueniens, non ſolùm quòd remaneat in alijs, ſed etiam quòd remaneat in hac? hæc enim Miſſa ſingularis eſt independens ab omnibus aliis, nec ab alijs quidquam recipit, vel quidquam ei detrahitur: ergo illud, quod non eſt inconueniens, ſi fiat ipſa ſola, neque erit inconueniens, ſi fiat ſimul etiam in omnibus alijs. Dicent fortè, eſſe inconueniens tantùm in aliquibus, in alijs verò non; at nulla ratio diuerſitatis aſſignari poteſt, cùm æqualis perfectio in omnibus requiratur. Dicent, non eſſe vllum inconueniens, aquam remanere in hoc Sacramento diſtributiuè ſumpto, eſſe tamen collectiuè: ſed neque hoc collectiuum inconueniens poteſt aliunde colligi, quàm ex ſenſu diſtributiuo. An reſpondebunt, eſſe inconueniens, quatenus Patres ſupponunt, aquam con-

 uer-

uersam prius esse in vinum? ergo, qui diceret quam numquam conuerti in vinum, & semper permanere in calice, nullum diceret absurdum, neque contradiceret Patribus, vel in hoc tantùm quod est merè philosophicum, aquam scilicet non conuerti in vinum. Præterea frustra etiam impugnaretur illa sententia, quia illi, qui dicunt aquam permanere, vtique supponunt non conuerti in vinum, & in hoc sensu Aduersarij censent, non esse aquam conuertendam in sanguinem, sicuti & illi. Confirmatur, quia Theologi numquam argumentantur contra illam sententiam ex eo, quòd aqua debeat conuerti in vinum, sed ex veritate formæ, & ex alijs principijs theologicis, quæ tantùm abest; vt probent aquam conuerti in vinum, vt hoc supposito, frustra omninò adducantur. Probant igitur esse inconueniens, quòd aqua non conuersa in vinum permaneat post consecrationem; atqui si hoc est inconueniens, semper erit inconueniens.

Præterea, qui concedunt semel aquam conuerti immediatè in sanguinem, non possunt non concedere, quotiescumque adest aqua in calice tempore consecrationis, conuerti, quia non est maior ratio de hac vice, quàm de altera: ergo similiter, qui concedit semel permanere, debet admittere, nullum esse inconueniens si semper permaneat.

Liquet

Liquet igitur, non disiungendam esse causam illius sententiæ, quam Suarez secundo loco recenset à causa Aduersariorum, frustraque hoc contendisse doctissimos recentiores, qui periculum quidem viderunt, &, si caueri potuisset, euitassent, sed verè non poterat; reliqui autem ferè neque aduertisse periculum videntur. quare non, vt prudenter Suarez, rationes contra secundam sententiam extenuant, sed potiùs amplificant, vt DoctoresConimbricenses, qui dicunt, argumentis conuinci; & Nuñez, qui asserit esse temerariam, ex eo præcipuè, quod Sancti docēt, *Totum quod est in calice conuerti in sanguinem*: cui non possum gratias non agere, nam appositissimè ad mentem meam locutus est. quid est enim totum id, quod est in calice, nisi aqua simul & vinum? ergo quotiescumque aqua erit in calice tempore consecrationis, conuertetur in sanguinem. Prudenter non dixit totum vinum quod est in calice, sed totum id, vt etiam aqua comprehenderetur: alioqui enim esset otiosum & falsum illud dictum.

Præterea, in responsionibus ad argumenta dum quærit Suarez, An sacerdos sit ieiunus, qui aquam nondum cōuersam in vinum tempore consecrationis simul cum sanguine sumit, inquit, *Consultius esset, vt sacerdos se existimaret non ieiunum, neque iterum conficeret, quam-*

quam si vellet alteri opinioni adhærere, quia totum illud recipitur per modum vnius Sacramenti. & quia contraria opinio non est omnino improbabilis, non damnarem illum.

Ecce affirmat tandem hanc opinionem non esse improbabilem: immò addit, se non damnaturum, qui in praxi secundùm eam se gereret, & tamen in materia Sacramentorum debemus semper propter ipsorum reuerentiam tutiori parti adhærere, præcipuè cùm non adsit necessitas. Nota præterea illam rationem, *Quia totum recipitur per modum vnius Sacramenti*. Si enim per modũ vnius Sacramenti est aqua cum sanguine in calice, multò magis per modum vnius materiæ Sacramenti erit simul cum vino in eodem calice. Maiorem enim proportionem & veriorem mistionem habet aqua cum vino, quàm cum sanguine. Prӕterea, cur per modum vnius Sacramenti recipitur aqua cum sanguine, nisi quia se habet simul cum illo per modum vnius potus? si igitur est vnus potus in receptione, cur non erit etiam in consecratione? si autem est vnus potus in consecratione, iam sub nomine calicis intelligitur, & totus conuertitur in sanguinem Christi: longè autem facilius est, vnum potum effici ex vino & aqua, cùm ambo sint potus naturales, & inuicem misceantur, quàm ex aqua & Sacramento, cùm illa sit res naturalis, hoc verò supernaturale: si ergo

ergo hoc ſecundum admittit, multò magis illud admittere debebat.

Obſeruandus eſt etiam alius locus P. Suarij diſp. 49. ſect. 2. dub. 2. vbi probans per verba conſecrationis non remanere in Sacramento Euchariſtię ſubſtantiam panis, refert quoſdam Theologos reſpondentes, non oportere, vt pronomine *Hoc* demonſtretur totum id, quod ſub ſenſibilibus accidentibus continetur; ſed ex intentione loquentis poſſe, quando res plures ſub ijſdem accidentibus continentur, definiri ac determinari pronomen *Hoc*, ad deſignandum vnam, & non aliam rem, præſertim quando ea res quæ ſignatur, eſt maioris exiſtimationis, & præcipua: ſicuti ſignato marſupio verè diceremus, hoc eſſe aurum, quamuis aliquid argenti ibi incluſum eſſet.

De hac autem reſponſione quid ſubiicit ipſe Suarez? *Sed hæc*, inquit, *ſententia & multùm fauet huius temporis hæreticis, & nullo modo defendi poteſt*. Hæc ille, & meritò. Sed, quæſo, attendat lector, an non in eamdem reſpōſionem, quam hîc impugnat, incidat Suarez, dum argumenta pro noſtra ſententia diluere conatur: argumentamur enim nos, totum, quod eſt in calice, debere verti in ſanguinem, vt verba conſecrationis ſint vera. Reſpondet verò ipſe diſp. 45. ſæpiùs citata ſect. 4. *Ex intentione ſacerdotis, ſeu Eccleſiæ, & Chriſti, ad quam ſacerdos ſe conformat, ſolùm*

solùm designari, quod sub speciebus vini continetur.

At quænam differentia est, inter hanc responsionem, Vera esse hæc verba, *Hic calix est sanguis meus*, quamuis in calice sit parum aquæ, & illam suprà impugnatam, huicque exemplo innitentē, verum esse dicere, Hoc marsupium est aurum, quamuis in eo sit parum argenti? vtique non possent meliùs verbis verba, calici marsupium, sanguini aurum, aquæ argentum respondere. quid igitur concludendum est? iudicet lector, an meritò huic quoque responsioni applicare possit ipsius Suarij iudicium, vlloue modo possit defendi.

Dices, adesse discrimen, quòd in marsupio argentum est sensibiliter distinctum ab auro, at verò aqua in calice ita est mista vino vel sanguini, vt ab eo discerni nequeat. Respondetur, hoc nihil eum iuuare; primùm, quia & illi, contra quos argumentatur Suarez, supponebant, materiam non esse sensibiliter separatam à forma, siue substantia corporis Christi. Deinde, quoniam hoc discrimen magis roborat argumentum meum, quia pronomen *Hic* faciliùs potest coarctari ad significandum vnum ex duobus, si duo illa sint distincta, quàm si sint insensibiliter permista. ergo cùm aqua & vinum sint in calice ita permista, multò minùs illa verba *Hic calix*, poterunt coarctari ad vinum tantùm significandum. Si autem pronomen

men demonſtratiuum non coarctatur ad vinum, ſed ſignificat etiam aquam admiſtam; iam negari non poteſt, quin & ipſa conuertatur in ſanguinem, quia verba Sacramentorum efficiunt id quod ſignificant. Sed iam pergamus ad alios.

Henricus Henriquez inter impugnatores noſtræ ſententiæ annumerandus eſt, & tamen li.8. c.12. hæc ait, *Clarè tum retinet ſpeciem vini conſecrabilis ex parua mixtura aromatum aut mellis, vt quando grana pauca hordei miſcentur tritico, ſit panis omnino aptus conſecrationi.* & pro hac ſententia Paludanum, Sotum, Ledeſmam & Tabienam citat. Quis igitur non miretur, velle hunc auctorem aromata & mel ſimul cum vino miſta in ſanguinem verti, cùm tamen non ſit veriſimile, nedum certum, in vinum priùs fuiſſe commutata, & id negare de aqua, quæ ex Chriſti inſtitutione vino miſcetur, & in ſanguinem verti à tot Patribus, quot ſuprà retulimus, aſſeritur?

Denique Gabriel Vaſquez diſp.178.in 3.p. Patres noſtræ ſententiæ, quam tamen alioqui impugnat, nolens ſuffragari fatetur: nam c.1. n.4. aſſerit, *Sententiam illam, quæ affirmat, aquam manere in propria ſubſtantia in calice conſecrato aduerſari Patribus qui dicunt, totum calicem plenum aqua & vino in ſanguinem Chriſti conuerti.* Deinde cap.3. n.17. ad Patrum teſtimonia reſpon-

ſpondens, inquit, *Patres hoc tantùm contendebant, vt aqua vino miſceretur; de modo autem, quo in ſanguinem tranſiret, non curarunt.* At hoc quid aliud eſt, quàm dicere, non curaſſe, an verteretur in vinum? ergo omnino independenter à conuerſione in vinum, voluerũt Patres aquam in ſanguinem tranſmutari, quod & nos volumus. Videat igitur lector, quàm parum Aduerſariorum dicta ſibi cohęreant, quod maximum eſt falſitatis ſignum, cùm è contra in noſtra ſententia omnia, & ſibi, & Patribus, & Concilijs, & Theologorum doctrinæ optimè conſentanea ſint. quod magnum eſt veritatis argumentum, addo & Philoſophiæ. Nam auctores contrariæ ſententiæ coguntur ſupponere aquã in vinum ſubſtantialiter conuerti, quod in Philoſophia falſum eſſe aliàs demonſtrauimus, cum noſtra autem optimè conuenit non conuerti. ſed quoniam affirmant Aduerſarij Philoſophiam famulari debere Theologiæ, & idcirco fatendum aquam in vinum cõuerti, quia theologicæ doctrinæ hoc magis conducit, oſtendamus nos non modò Theologiæ hoc nihil conducere, ſed etiam aduerſari, & multò magis cohærere cum theologica doctrina, quòd aqua numquam in vinum vertatur.

SE-

SECTIO X.

Aduersariorum suppositum, quòd aqua in vinum conuertatur, nedum necessarium non esse, sed etiam falsum, theologicis rationibus ostenditur.

EX philosophiæ principijs pendere, an aqua possit in vinum conuerti, nulli meritò dubium esse potest; quia tamen nec veritas veritati, nec philosophiæ veræ potest Theologia esse contraria, non mirum, si quod pendet ex philosophiæ principiis, theologicis rationibus probari, vel improbari possit; sicuti è contra, & res theologicæ rationibus philosophicis confirmari, vel infirmari non raro solent. si enim conclusio theologica cum philosophica pugnat, certum est & euidens argumentum, alteram earum falsam esse; erit autem falsa philosophica, si theologica ex principijs fidei per necessariam consecutionem deducatur, quia certius & superius est lumē fidei, cui talis conclusio nititur, quàm sit lumen sensuum, vel rationis à quo philosophica deducitur; si tamen conclusio theologica sit in opinione posita, non erit contemnendum argumentum, illam partem esse probabiliorem, quæ cum conclusione philosophica magis cohæret. Possumus igitur

igitur ex rebus theologicis pro philosophicis argumenta desumere; & è conuerso. Vt ergo ostendamus philosophicam sententiam, quam qu. 52. in lib. de Generat. Aristotelis de aquæ conuersione tradidimus, & rationibus, auctoritatibus, & experimentis clarissimis communiuimus, veræ Theologiæ non esse contrariam, immò maximè consentaneam; & Aduersariorum fundamentum non tantùm philosophicis argumentis, sed etiam rationibus theologicis euertamus, aquam in vinum verti in sacrificio Missæ non modò necessarium non esse, sed etiam inconueniens, theologicè hîc palàm faciemus.

Et quidem necessarium non esse nullo negotio probabitur, quoniam ad hoc confirmandum sufficit Rubrica illa Missalis suprà allata; qua iubetur sacerdos, qui priùs oblitus fuerat aquam apponere, illam infundere, & statim verba consecrationis proferre: tunc enim certo certius est, aquam illam ante consecrationẽ in vinum non esse conuersam, neque Ecclesiam de hoc esse sollicitam, quia alioqui moneret sacerdotem, vt non statim verba consecrationis proferret, & adeò modicam aquam apponeret, vt in tam breui temporis mora posset in vinum conuerti. Quare & Aduersarij concedunt in hoc casu aquam non esse ante consecrationem factam vinum, si ergo de hoc Ec-

clesia

clesia non est sollicita, quæ tamen omnem diligentiam adhiberi semper docet, vt quàm decentissimè hoc Sacrificium peragatur; argumento est, nihil referre ad ipsius dignitatem, quòd aqua vertatur in vinum, cùm tamen verti in sanguinem, maximi referat ob rationes suprà allatas. Sed iam ostendamus etiam conducibilius esse, vt aqua non vertatur in vinum.

Primùm autem argumentor ex fine, propter quem miscetur aqua vino, quem omnes fatentur esse significationem: Significatio huiusmodi est sacramentalis: ergo non est dicendum aquam conuerti in vinum, antequam conficiatur Sacramentum. Antecedens probatur, Primò auctoritate grauissimorum Theologorum; nam Alexander Alensis 4.p.q.10. memb. 4.art.1.dub.5. *Quantum*, inquit, *ad plenitudinem, siue perfectionem esse sacramentalis, requiritur aqua, & est de substantia Sacramenti, quia sine aqua admista, etsi habet Sacramentũ effectus suos quantum ad esse spirituale, non tamen quantum ad esse sacramentale, siue significatiuum.* Quare censet Alensis non solùm hanc significationem esse sacramentalem, sed etiam sine ipsa imperfectum esse Sacramentum quoad significationem. S. etiam Bonauent. in 4. dist. 11. in expositione literæ ad idem dubium de aqua mista in dolio, respondens, inquit, *Dicendum, quòd admistio aquæ cum vino est sacramentalis, vnde solius*

est sacerdotis, & est ad significationem, & ideo tunc debet poni, quando iam inchoantur sacra mysteria. Præterea, S. Thomas 3. p. q. 74. art. 7. *Appositio,* inquit, *aquæ ad vinum refertur ad significandum participationem huius Sacramenti à fidelibus, vsus autem fidelium non est de necessitate Sacramenti,* sed *est aliquid consequens ad Sacramentum.* Itaque vult S. Thomas aquæ significationem spectare ad Sacramentum, quamuis non ad essentiam eius. Tandem Gabriel lect. 32. in Canon. inquit, *mistionem aquæ esse necessariam quantum ad plenitudinem significationis.*

Præterea probatur eadem maior rationibus, propter quas Patres dicunt aquam vino misceri in calice: sunt enim, præter Christi exemplum, multiplices eius significationes; Primò namque significat ex latere Christi aquam & sanguinem fluxisse: ita Alexander I. epist. 1. decretali, vt habetur in c. 1. de consecrat. dist. 2. Secundò, significat vnionem Ecclesiæ cum Christo, quia per aquam significatur populus, Apocal. 17. hoc tradit Cyprianus epist. 62. & alij permulti post ipsum. Tertiò, significat introitum in vitam æternam, vt notat D. Thomas ex D. Ambrosio lib. 1. de Sacramentis dicente, *Redundet aqua in calicem, & salit in vitam æternam.* Quartò, duplicem naturam in Christo, diuinam in vino, & humanam in aqua, ex Niceph. lib. 1. c. 53.

In

In quibus licet aduertere contineri illas tres significationes, quas recolit Ecclesia in Antiphona, *O sacrum conuiuium*, &c. Recolitur enim memoria passionis eius, dum aqua repræsentatur, quæ ex latere Christi exiuit: Gratia, quâ mens impletur, significatur in vnione populi cum Christo: & futuræ gloriæ nobis pignus datur, dum iuxta tertiam rationem, introitus significatur in vitam æternam. Illæ autem significationes sunt maximè sacramentales, ergo sacramentalis quoque est significatio aquę, præcipuè cùm ad hoc fuerit instituta à Christo Domino: cùm igitur habeat significationẽ sacramentalem, non potest non spectare ad Sacramentum. Probatur autem consequentia, ergo aqua non cõuertitur in vinum: quoniam si aqua, vt Aduersarij volunt, in vinum conuertitur, ergo tempore consecrationis, quando conficitur Sacramentum, non erit ampliùs aqua in calice: ergo omnes significationes, quæ ab aqua desumuntur, peribunt, quia quod non est, significare non potest: ergo numquam poterunt tribui Sacramento Eucharistiæ; quia quando aqua est præsens, nondum adest Sacramentum Eucharistiæ; quando verò fit præsens Eucharistiæ Sacramentum, iam aqua desiit esse.

Confirmatur, vel aqua significauit, quando mista fuit; vel significare debet, quando fit Sa-

cramentum: si prius, ergo ante consecrationem adest in Altari verum Sacramentum; nam Sacramentum est signum sacrum à Deo institutum, huiusmodi autem est mistio aquæ: si posterius dicas, ergo oportet adesse aquam; si enim non adest, quomodo significare potest?

Si dicas, sufficere, quòd aliquando mista fuerit, quamuis modò non adsit. Contrà, quia eodem pacto dici posset, aquam, quæ farinæ admiscetur, hæc omnia significare, quia ipsa quoque admista fuit, quamuis modò non existat, quod tamen nemo vmquam asseruit. Dices, farinæ non admisceri aquam in ipso sacrificio Missæ, sicuti vino. Verùm neque hæc responsio satisfacit; Primò, quia neque aqua vino admiscetur propriè in sacrificio, sed in præparatione ad sacrificium; & multò magis patet hoc in ritu Patrum Dominicanorum, qui miscent ante Missam. Præterea, adhuc aliunde est maior ratio de aqua admista farinæ, quàm de mista vino; primò, quia illa non est conuersa in farinam, sed ex ipsa & farina factum est vnum tertium: est ergo adhuc aqua in pane, eo modo, quo miscibilia in misto; at eam, quæ miscetur vino, omnino volunt in illud conuerti, ergo nullo pacto neque actu, neque potentia remanet. Præterea, qui videt panem, scit in eo mistam fuisse aquam, at qui videt vinum, non potest cognoscere an mista fuerit aqua: ergo aptior

aptior ad significandum esset aqua in pane, quàm in vino.

Tandem, etiamsi aqua misceretur farinæ in ipsa Missa, adhuc non esset hac significatione sacramentali prædita, ergo idem dicendum de ea quæ vino miscetur. Si dicas antecedens verum esse, quia non ad hoc fuit instituta à Christo mistio aquæ cum farina, verum dices: sed verè quoque dicet alius, non fuisse à Christo institutum, vt aqua tantò ante consecrationem infunderetur calici, vt tota conuerteretur in vinum.

Præterea, si quis post aquæ mistionem cum vino, ante consecrationẽ denuo totam aquam extraheret, nemo, credo, admitteret illam mistionem præteritam sufficere ad præceptum adimplendum de aqua admiscenda. sed parum refert, quòd aqua hoc modo potiùs quàm illo desinat esse; ergo siue desinat ibi esse, quia corrumpitur, & in vinum transmutatur, siue quia extrahitur, eadem ratio militabit, & non poterit Sacramento deseruire.

Confirmatur, quia, si vinum, postquam oblatum est, ante consecrationem omnino acetum fieret, non magis ampliùs esset apta materia ad Eucharistiam conficiendam, quàm si omnino effusum fuisset: ergo par ratio est de extractione, & de corruptione.

Præterea, docet Missale Romanum, si ara-

nea ceciderit in calicem ante consecrationem, debere vinum proijci subtus altare, & aliud poni in calice, & aquam misceri; at si non oporteret aquam adesse, dum Eucharistia fit præsens, sed sufficeret præcessisse mistionem, non esset necesse in hoc casu denuò aquam misceri, quia iam mista fuit. & quamuis hoc secundum vinum dici non possit mistum, nihil referret, quia etiam primum iam desierat esse mistum; requiritur ergo non tantùm vt mistio præcesserit, sed etiam vt aqua mista sit presens.

A simili etiam confirmatur, quia præcipit Ecclesia, non apponendam aquam post consecrationem, etiamsi antea ex obliuione apposita non fuerit. ratio est, quia apponitur ante consecrationem ea intentione, vt conuertatur in sanguinem; at post consecrationem si apponatur, non potest ampliùs in sanguinem conuerti; meritò ergo superuacanea censetur eius appositio. Eodem igitur pacto si ea intentione misceretur aqua vino, & in vinum conuerteretur, & hoc medio etiam in sanguinem, frustra misceretur instante consecratione, quia iam amplius neque in vinum, neque in sanguinem est conuertenda. Si dicas misceri propter significationem, eadem ratione dici potest misceri post consecrationem: magis enim pertinere potest ad significationem sacramentalem id quod fit circa Sacramentum iam existens,

quàm

quàm id, quod circa materiam futuri Sacramenti efficitur.

Tandem, si illa mistio præcedens esset sufficiens fundamentum huius significationis sacramentalis, sicut illa mistio est preterita, ita significaret vnionem Christi cum populo præteritam, non verò præsentem. quod est absurdum.

Idipsum exemplo balsami, quod cum oleo miscetur, ostenditur: nam fatetur Suarez disp. 33. sect. 1. si Chrisma, id est, compositum ex oleo & balsamo, sit adeò vetus, vt odorem balsami amiserit, aut omnino nullam, aut certè valdè dubiam materiam fore, quia iam videretur omnino corruptum Chrisma, saltem quo ad mistionem ex oleo & balsamo; ergo eodem pacto si mistio aquæ non remanet, non erit vinum ampliùs perfecta materia, quamuis adhuc sit sufficiens, quia mistio aquæ non est de essentia.

Dices, Tempore consecrationis, quamuis aqua iam sit conuersa in vinum, tamen vinum communi appellatione appellatur mistum, quia remanet affectum qualitatibus aquæ, & hoc sufficit ad rationem Sacramenti, quòd vinum tunc dicatur mistum. Verùm suprà iam impugnauimus hanc responsionem, & ostendimus, non posse dici mistum vinum, si iam aquam in se conuertit. quòd si communiter hoc nomine appellatur, signum est, non esse aquam in vi-

num transmutatam. Adde, quòd vel accidentia, quæ remanent, sufficienter indicant aquam adesse, vel non. si prius, ergo immeritò adesse negatur, cùm eius præsentiæ sufficiens indicium habeamus: si posterius, ergo non sufficiũt ad significationem. Nam eatenus aquæ accidentia hoc munus præstare possunt, quatenus aquam repræsentant; si autem hanc non indicant præsentem, multò minùs repræsentare poterunt id, quod per aquam significari debet. Ex hac igitur significatione sacramentali rectè concluditur, aquam non debere in vinum ante consecrationem verti, immò etiam ipsam aquam in sanguinem verti: quia si habet significationem sacramentalem, igitur intrinsecè spectat ad Sacramentum, cuius essentiam participat: non spectat autem tamquam forma, ergo tamquam materia, siue tamquam commateria, quia eius significatio est complementum quoddam significationis Sacramenti.

Verùm ad infirmandum hoc idem argumentum possunt nobis nonnulla obijci, quæ reiicienda sunt. Primum est: Notat S. August. serm. 2. Paschæ, in his rebus Dominum Eucharistiam constituere voluisse, quæ ex multis ad vnum aliquid rediguntur, nam ex multis granis tritici fit panis, & ex multis vuæ racemis vinum, vt nobis charitatem & vnitatem commen-

mendaret,ſed neque grana,neque vuæ racemi adſunt,dum conficitur Euchariſtia, ſufficit tamen præextitiſſe: ergo eodem pacto , vt aqua ſuo munere ſignificandi fungatur, non opus eſt vt exiſtat,ſed ſufficit extitiſſe,& conuerſam eſſe in materiam præſentem, ſicuti conuerſa ſunt grana & racemi.

Reſpondetur Primò, hanc ſignificationem, quæ ſumitur ex multis granis vel racemis, non eſſe ſacramentalem ; nam & veſtes ſacerdotales,& quidquid in Miſſa geritur, aliquid ſignificant, neque tamen habent ſignificationem ſacramentalem , quia neque habentur ex inſtitutione Domini, neque gratiam infallibiliter ſignificant; vnde etiam S. Auguſtinus non dixit, Dominum in his rebus Euchariſtiam inſtituiſſe,vt vnitatem & charitatem ſignificarent, ſed vt commendaret. Naturalis igitur, vel moralis dici poterit hæc ſignificatio, non autem propriè ſacramentalis.

Præterea, quamuis non remaneant grana vel racemi,remanet tamen illud vinum , & ille panis, qui ex pluribus confecti ſunt, nec aliter fieri potuerunt,ac proinde hoc ſufficeret ad ſignificandam vnitatem ex multis: at aqua & debet ſignificare aliquid per ſe, quia ſignificat aquam quæ ex latere Chriſti exiuit,& non poteſt rectè repræſentari per vinum in quod eſt conuerſa;tum quia vinum poteſt eſſe ſine aqua,

tum quia non est aliquod tertium resultans ex aqua & alio liquore misto, sicuti panis est tertium resultans ex multis granis; sed est aliquid productum ex aqua. Est autem magna differentia inter hæc duo, quia illa censentur manere in tertio, miscibilia enim manent saltem potentia in misto, & idcirco per hoc tertium aptè repræsentantur: at corruptum nullo pacto dicitur manere in genito, & idcirco per genitum non potest corruptum repræsentari.

Secundò, obiicies, Si aqua permanet mista vino, satis ergo erit miscere aquam in dolio; quia adhuc in calice esset aqua & vinum, quod ad Sacramentum, & Sacramenti significationem sufficere videtur. Respōdeo. satis hoc non esse, Primò, quia quamuis aqua esset in calice, non tamen ibi adesset sensibiliter, quod ad Sacramentum requiritur; dum autem paulò antè apponitur, est ibi sensibiliter eo meliori modo quo potest, quia & sensus testatur appositam fuisse, & intellectus iudicat non esse in vinum conuersam, & sensus ipse nullum habet argumentum, quo iudicet, aquam appositam ibi non adesse. Secundò, mistio, quæ fieret in dolio, non esset ordinata ad Sacramentum, vel saltem valdè remotè, ac proindè non videretur apposita propter significationem, quæ in Sacramento requiritur.

Tertiò, obiicies, Si commistio aquæ & vini est

est sacramentalis, ergo debet remanere simul cum Sacramento, ergo non conuerti aqua in sanguinem. Respondeo, non esse necesse, vt cum Sacramento aqua permaneat, sed satis esse quòd sit præsens, dum Sacramentum conficitur, & quòd post consecrationē remaneant eius accidentia; sicuti etiam sufficit, quòd remaneant species panis & vini, quia quo ad sensibilitatem & significationem æquiualent ipsi substantiæ.

Quartò, obiicies, Aqua apponitur, vt significetur conuersio populi in Christum, hoc autem aptiùs significatur, si aqua conuertatur in vinum, quàm si non conuertatur, vt inquit S. Thomas quæst. 74. art. 8. ad 2. qui etiam ad 1. respondens, ait sufficere ad Sacramenti huius significationem, quòd sentiatur aqua, dum apponitur, non autem oportere, quòd sit sensibilis post mistionem. Respondeo, vt diximus contra Estium sect. 1. conuersionem populi in Christum, esse moralem, non verò physicam, & consequenter multò meliùs significari per conuersionem aquæ moralem, eo modo, quo suprà explicauimus, quàm per conuersionem physicam. Adde, quòd non tantùm debet significari vnio populi cum Christo, sed etiam perseuerantia vnionis: nam, vt inquit S. Cyprianus, si vinum sit sine aqua, Christus incipit esse sine nobis; si igitur aqua desineret esse in calice,

ce, iam desineret Christus esse nobiscum. Ad auctoritatem S. Thomæ respondeo, sufficere, quòd aqua sentiatur dum apponitur, quia semel mista præsupponitur semper adesse, & in virtute illius appositionis dicitur etiam adesse sensibiliter; at si conuerteretur in vinum, non solùm non sentiretur, sed neque adesset. quare non dixit S. Thomas, non oportet quòd aqua adsit, sed, quòd sit sensibilis: supponit igitur adesse, sed non esse per se sensibilem, vt explicauimus.

Quintò obijcies, In ordine ad sensus nostros se habet aqua, ac si conuersa esset in vinum, quia non apparet, neque sentitur: sed Ecclesia, vt suprà diximus, non scrutatur subtilitates physicas, ergo quidquid sit de substantiali conuersione, ab Ecclesia habetur pro conuersa: ergo æquè contra nos militant supradicta absurda, atque contra Aduersarios. Respõdeo, falsum esse antecedens, quoniam semel apposita aqua, & sensus cognoscit diuersitatem saporis & coloris in vino, & opinio communis habet semper illud vinum pro diluto; dicitur tamen moraliter conuersa in vinum, quia neque ab eo discernitur, & eius accidentibus afficitur, & sub vini appellatione continetur, quamuis verè credatur adesse aqua.

Secundò principaliter argumentor: Ecclesia illud intendit consecrare, quod post Euangelium

lium Deo offert: ſed ſi aqua verteretur in vinum, fruſtraretur eius intentio. quod non eſt dicendum: ergo, &c. Maior eſt clara, vt quid enim offert, niſi vt conſecret? Quare nec plus, nec minus offerri vult, quàm ſit cõſecrandum; &, ſi poſt oblationem aduertit defectum in materia, præcipit, ſi ſine ſcandalo fieri poteſt, vt denuo noua materia offeratur. Minor quoque eſt euidens, quia offerret vinum & aquam, & deinde vinum tantùm conſecraret, ergo & aliquid conſecraret quod non obtuliſſet, illud ſcilicet vinum ex aqua genitum, & aliquid offerret quod non conſecraret, ſcilicet aquam.

Dices, curæ non eſſe hanc minimam partem Eccleſiæ, quia in ſuo toto cenſetur & illa oblata; quocirca etiam præcipit, vt ſi in calice poſt conſecrationem corporis aduertat ſacerdos non adeſſe aquam, quòd ipſam infundat, & deinde conſecret, abſque eo quod offerat. Reſpondetur, hoc quidem probare, non eſſe hanc oblationem de eſſentia, non tamen non eſſe contra intentionem Eccleſiæ quæ vellet quidem offerri totum illud quod eſt conſecrandum; ſed vt ſcandalum, & alia incommoda vitentur, non fieri permittit.

Dices rurſus, ſufficienter offerri totum vinum, dum offertur aqua, ex qua conficiendum eſt vinum. At contrà, quia non eſſet verè eadem numero oblatio, contra id quod intendit

Ec-

Ecclesia, quæ sæpè vocat hanc oblationem; dum autem possumus retinere germanam significationem, non debemus quærere extraneam.

Tertiò principaliter, sequeretur aquam verè sacrificari Deo, esseque hoc sacrificium diuersum à sacrificio corporis & sanguinis Domini. quod dici non potest. Probatur illatio, quoniam sacrificium est, *oblatio facta Deo in signum supremi cultus alicuius rei permanentis, per quam illa res, vel consumitur, vel ad consumptionem proximè ordinatur*. Vel, vt inquit Suarez, *est oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei in signum legitimè institutum diuinæ excellentiæ, & reuerentiæ*. Vel, vt ab aliis definitur, *sacrificium est externa caremonia, qua res per legitimum ministrum consecrata, cum quadam consumptione offertur Deo in cultum*. Ex quibus duas præcipuas cōditiones sacrificij colligere possumus. Prior, vt res offeratur Deo; altera, vt aliquo pacto consumatur, vel saltem immutetur; per hanc enim præcipuè differt sacrificium ab oblatione: has autem duas reperiemus in aqua, iuxta Aduersariorum sententiam. nam offerri Deo simul cum pane & vino in illa parte Missæ, quæ idcircò Offertorium dicitur, & ipsi fatentur; ordinari etiam ad consumptionē ex principijs ipsorum colligitur, quia dicunt, aquam desinere esse, & conuerti in vinum. Neque dicere

tere possunt, per accidens, & extra intentionē Ecclesiæ sequi aquæ desitionem; quia Suarez inquit debere à sacerdote aquā infundi vino, vt in ipsum vinum conuertatur. Consequens autem esse absurdum, probatur ex Concilio Trident. sess. 22. in procemio, vbi Eucharistiæ sacrificium non solùm verum, sed etiam singulare appellat; quia solum est in Ecclesia Catholica, vt omnes Theologi vnanimiter docent.

Dices, non reputari diuersum sacrificium à sacrificio Eucharistiæ, tum quia fit in eadem Missa, tum etiam quia ordinatur ad ipsum Eucharistiæ sacrificiū, alioqui neque vitari posset, quin in Missa dicerentur sacrificari panis & vinum, quia & ipsa offeruntur Deo, & etiam destruuntur per consecrationē. Verùm non euacuat hæc responsio difficultates; primò enim, quòd fiat in eadem Missa, hoc nihil refert; quia hoc valdè accidentarium & extrinsecum est. Nam si in eadem Missa bis consecraretur Corpus Christi, & absumeretur, reuera duplex esset sacrificium, sicut triplex offertur in die Natalis Domini, quamuis in eodem altari, & continuè vna post aliam Missæ à sacerdote dicantur. Quod subiungitur de ordinatione, neque nobis officit, quia poterunt esse duo sacrificia, sed vnum ordinatum ad alterum, nam & omnia sacrificia veteris legis ordinabantur in sacrificium nouæ, & tamen vera sacrificia erant.

In-

Instantia verò, quæ vltimo loco affertur de panis & vini desitione in consecratione, magnam inuoluit quæstionem. Nam Pater Suarez disp. 75. sect. 1. & Cardin. Bellarminus li. 5. de Eucharistia, qui est primus de Missa cap. 27. concedunt panem & vinum esse materiam, quæ offertur in hoc sacrificio, dicunt tamen non esse duo sacrificia, vel quia vnum ordinatur ad alterum, vel quia alterum se habet, vt terminus à quo, alterum vt terminus ad quem. Hæc tamen sententia, saltem quo ad priorem partem, pace tantorum virorum, mihi nequaquam probatur; censeo enim Christum solum illum esse, qui verè & propriè in mysterio Missæ sacrificatur, tamquam ipsius sacrificij materia. Probatur autem ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. asserente, *In sacrificio Missæ vnam eamdemq; esse hostiam, quæ immolata fuit in cruce.* Si autem est vna hostia, ergo non panis & vinum sacrificantur; si eadem est cum ea quæ fuit in cruce; ergo non aliquid diuersum à Christo Domino sacrificatur. Quod verò ait Suarez, dici Christum sacrificari, non quia sit materia sacrificij, sed quia est terminus resultans ex actione sacrificandi, non vero simile mihi videtur. Primò enim est inauditum, terminum resultantem ex actione sacrificandi, & non materiam sacrificari. Quis enim vmquam dixit, cadauer ouis sacrificari, & non

ipsam

ipsam ouem viuam? porrò cadauer ouis est terminus resultans ex actione sacrificandi, ouis viua est materia. Præterea, illud sacrificatur, quod Deo in sacrificio offertur; quod autem offertur, præsupponitur existere in potestate mea, vt quid enim offeram, quod non habeo? promittere quidem potero, at non propriè offerre. atqui quod resultat ex actione sacrificandi, non est in potestate mea, neque præsupponitur; ergo non potest offerri.

Præterea, apud omnes, quod sacrificari dicitur, vel intelligitur mactari, vel consumi, vel saltem ad consumptionem & mortem ordinari. quod doctissimè ex nominis etymologia, tum Græca, tum Hebræa, ex Scriptura, & ex Patribus probat Cardin. Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 2. sed materia est, quæ vel mactatur, vel consumitur, non autem terminus resultans, qui è contrario producitur per actionem sacrificandi: ergo est omnino alienum à notione & acceptione sacrificij, vt terminus, qui producitur, sacrificari dicatur. At inquit ipse Suarez: *Singulare & excellens est in hoc sacrificio, vt sit potiùs propter efficiendum, quàm propter destruendum.* Excellentissimum fateor hoc sacrificium, sed excellentia eius non debet destruere rationem sacrificij, quod ex natura sua ad consumptionem ordinatur, sed potiùs perficere; alioquin poterit etiam quis dicere excellentissi-

O mam

mam fuisse mortem Christi, & idcircò non ad separationem animæ à corpore ordinatam, sed ad meliorem vnionem, quod planè esset hæreticum; & similiter in omnibus alijs mysteriis Christi Domini, quodlibet aliud comminisci, & dum rationibus in contrarium vrgetur; respondere, illud esse excellens & singulare in illis mysterijs. Cùm ergo vocibus communibus vtimur, non debemus propter excellentias rerum, earum communem notionem corrumpere: nam potiùs Ecclesia voces nouas excogitat, vt in hoc mysterio, quia conuersio longè diuersæ rationis ab aliis conuersionibus intercedebat, transubstantiationem appellauit, & in mysterio Trinitatis consubstantialis nomen inuenit, & ita in reliquis. si ergo in hoc sacrificio Missæ non adesset vera ratio & notio sacrificij, quæ consumptionem rei sacrificatæ indicat, alio nouo nomine, & non sacrificium appellasset. Præterea si hoc sacrificium ordinatum est ad repræsentandam Christi Domini mortem & passionem, quomodo, vt inquit Suarez, ordinatum est potiùs ad efficiendum, quàm ad destruendum? Numquid mors meliùs nobis repræsentabitur per productionem, quàm per destructionem alicuius rei? Sed hæc obiter dicta sint. nam accurata huius difficultatis tractatio longiorem posceret disputationem, quàm par sit hîc inserere.

Ad

Ad instantiam ergo suprà allatam dicerem ego, non sacrificari substantiam panis vel vini, quia per accidens destruuntur, ex incompassibilitate scilicet quam cum eis habet præsentia sacramentalis corporis & sanguinis Christi Domini nostri. id autem de aquæ desitione dicere nequeunt Aduersarij, nam volunt ea intentione apponi vino, vt in vinum transeat, & desinat esse aqua. Quod autem in altera parte responsionis asserebant Suarez & Bellarminus, panem scilicet & vinum non sacrificari, quia sunt terminus à quo sacrificij Eucharistiæ; per hoc enim & non distingui ab ipso Eucharistiæ sacrificio, & simpliciter dici offerri corpus & sanguinem Christi, quod est infinitè nobilius, & solùm ab Ecclesia intentum; hoc, inquam, sicuti probabiliter dicitur, ita nostræ sententiæ fauet. nam dum aqua desinit esse, non est terminus à quo Eucharistiæ, quia non vertitur in sanguinem, sed in vinum: ergo cessante hac ratione, erit dicenda simpliciter offerri in sacrificium distinctum à sacrificio Eucharistiæ.

Quartò, dum aquam sacerdos iuxta ritum S. R. E. benedicit, Deum alloquens, ait, *Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti*, &c. Si quæras autem ab Aduersariis, quænam sint hæc Sacramenta in aquæ substantia constituta, non aliud afferre poterunt, quàm baptisma;

 atqui

atqui hoc, & vnum tantùm est, & non maximum. Quomodo ergo Ecclesia dicit maxima quæque Sacramenta in aqua condita? At nos dicemus, non solum baptismum, sed etiam Eucharistiam in aqua (mixta scilicet vino, vt explicauimus) fuisse institutam: quorum Sacramentorum hoc est maximum dignitate, illud necessitate; hoc quia omnium aliorum finis, illud quia principium & ianua; hoc ob summam intensiuam perfectionem, illud ob extensiuam: nullum est enim Sacramentum, quod à pluribus participetur. Porrò si aqua in vinum esset versa tempore consecrationis, dici non posset Eucharistiæ Sacramentum in aqua conditum fuisse.

Quintò probabile, quamuis non efficax, argumentum ex figuris huius Sacramenti deduci potest: cùm enim alioquin non magna adsit similitudo inter aquam & Eucharistiam, & tamen inueniamus in aqua ipsam significatam & præfiguratam fuisse; argumẽto est, non tam propter conuenientiam, quàm quòd materia eius futura esset, ipsius fuisse symbolum. Porrò quamplures siue figuras, siue prophetias, in quibus per aquam hoc ineffabile Sacramentũ præmonstratum fuit, adducere possem, ex quibus clariores aliquot commemorabo. Hoc enim Sacramentum referebat aqua illa, quam eduxit Moyses de petra, vt tradit S. Ambrosius lib.

lib. 5. de Sacramentis c. 1. & etiam S. Thom. 3. p. q. 74. art. 6. Immò & S. Paulus 1. ad Cor. 10. dicens, *Omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt*, id eſt aquam de petra, quæ ſpiritaliter, id eſt myſticè, typus erat ſanguinis Chriſti. Hoc idem Sacramentum indicabat vas illud aquæ, quod cum pane ſubcinericio cælitus ſibi allatum bibit Elias. Hoc aqua Bethleemitica, quam tantopere expetiuit Dauid, Deoque veluti in ſacrificium obtulit. Hoc aqua illa refectionis, quæ, eodem regio Vate teſte, animam conuertit, hoc eſt, deliquio abeuntem ſpiritum reuocat. Hoc ille fluuius è templo egrediens, quem Ezechiel (os enim eius iam pertingebat) pertranſire nequiuit. Hoc ille aquæ potus, quem puluere conſperſum vituli populo propinauit Moyſes: de quo ait Rabbi Salomon apud Lyranum, quòd inflationem & languorem peccato obnoxiis inferebat, aliis autem vtilis & dulcis erat, iuxta id quod canit Eccleſia de hoc Sacramento, *Mors eſt malis, vita bonis*; vel, vt alij volunt, lepra aſpergebantur qui culpa non carentes eum bibebant; quare extra tabernacula propterea egreſſi, à filijs Leui trucidati ſunt. Hoc piſcina illa Probatica, in qua, vt inquit D. Hieronymus, carnes pecudum ſacrificandæ lauabantur, vnde & ſanguine miſtam fuiſſe veriſimile eſt. Quid? Nónne ipſamet aqua tamquam pars materiæ Sacramenti Euchariſtiæ

in veteri teſtamento præfigurata fuit? tradit enim D. Hieronymus, ſiue, vt alij exiſtimant, peritus quidam Hebræus in Traditionibus Hebraicis ſuper Paralipom. circa illud, *Quòd aquã Dauid libauit Domino*, quòd in ſacrificiis, in quibus vinum offerebatur, eidem vino aqua admiſcebatur: cuius teſtimonio ſi quis nolit habere fidem, proferemus teſtem omni exceptione maiorem, ſanctum videlicet Paulum, qui ad Hebr. 9. teſtatur Moyſem ſanguini vitulorum & hircorum, quo vetus teſtamentum confirmauit, aquam admiſcuiſſe, dicens, *Lecto omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinẽ vitulorum & hircorum cum aqua, ipſum librum & populum reſperſit.* Vt quid autem voluerit Deus hanc fieri miſtionem, multæ poſſent afferri rationes, quarum inter primas, hanc crediderim, vt populus, qui per aquam ſignificatur, Deo vniri oſtenderetur: nam illa ſanguinis aſperſio in ſignũ fœderis inter Deum & populum fiebat, & eadem ratione dicunt Patres vniri in calice aquam cum vino: ergo ſicuti ibi aqua in ſanguinem verſa non fuit: nam & ſanguis extra venas potiùs ipſe corrumpitur, quàm aliquid aliud in ſe conuertat, & non diu veriſimile eſt aquam ſimul cum ſanguine fuiſſe. ita neque hîc verti debet aqua in vinum.

Præterea, illam miſtionem aquæ cum ſanguine

guine figuram fuisse calicis Domini ex vino & aqua permisti, demonstrant verba Moysis similima, vt D. Anselmus notauit, his quæ Christus Dominus dixit hoc Sacramentum conficiens. Nam *Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus*; dixit Moyses, nec dissimiliter Christus, *Hic est sanguis noui testamenti, qui pro vobis effundetur.* Si autem aqua conuerteretur in vinum, non rectè figuratum figuræ responderet; tum quia ibi aqua non vertebatur in aliquid aliud; tum quia de ea simul cum sanguine dicebatur, *Hic est sanguis noui testamenti*: hîc autem verba consecrationis non proferrentur super aquam, cùm iam versa esset in vinum.

Si verò obiicias, quòd ibi aqua non conuertebatur in sanguinem: ergo neque hic conuerti debet. Respondetur negando consequentiam; quoniam in illa Moysis actione nulla fiebat conuersio, siue transubstantiatio, quia congruum erat, vt hoc maximum miraculum sanguini Christi reseruaretur: quare non mirum, si aqua quoque non conuertebatur. Addo & antecedens non esse omnino verum, quia conuertebatur moraliter: nam totum illud mistum sanguinis nomine appellatum fuit à Moyse, vel vt præsignificaret in calice Domini aquam conuertendam in sanguinem, vel quia mistum accidentale ex maiori parte denominari solet.

Ad idem confirmandum adduci potest e-

manatio sanguinis & aquæ ex latere Christi, figuram dicam respectu calicis, an figuratam? vtrum tamen dicas, mea non interest, quoniam si figura fuit, ergo in figurato calice debet adesse aqua, & quoad suam substantiam, sicut terminus à quo consecrationis, & quoad accidentia post consecrationẽ; neutro autem modo esset, si ante consecrationem verteretur in vinum. Si figurata, ergo eodem modo in consecratione, & post ipsam debet esse aliquid in calice, quod illam repræsentet; si autem aqua verteretur in vinum, nihil planè adesset.

Tandem, si figuram optas, quæ clarè præsignificaret aquam immediatè vertendam in sanguinem; nònne Moyses populum Israel ab Ægypto liberans id præstitit? Sicuti enim illa conuersio aquæ in sanguinem argumẽto fuit, & Moysen missum esse à Deo, & populum ab Ægypto liberandum; ita hæc conuersio, quæ in calice contingit, & Christum nobis cælitus mitti in Sacramento declarat, & nos ipsius gratia à dæmonum & peccatorum seruitute liberandos demonstrat. En igitur aquam versam in sanguinem, cùm tamen id de vino nusquam legamus.

Quòd si obijcias, in conuiuio Canæ Galileæ in vinum quoque aquam fuisse conuersam; Respond. hoc etiam esse pro nobis. Quis enim adeò desipiat, vt affirmet conuersionem aquæ

in

n vinum in calice, quæ si datur, per vires naturæ efficitur, figuratam fuisse per supernaturale miraculum? Fuit igitur illa conuersio figura conuersionis aquæ non in vinum, sed in sanguinem: nam per illud vinum optimum vsque ad conuiuij finem reseruatum potus sanguinis Christi præsignabatur.

Nolo tamen hîc prætermittere, Patres ex hoc miraculo cõuersionis aquæ in vinum confirmare consueuisse miraculum conuersionis vini in sanguinem; sicuti etiam ad idem probandum aliarum conuersionum exemplis vti solent, præterquam naturalis conuersionis aquæ in vinum. Non est autem verisimile, eos prætermissuros fuisse hoc exemplum conuersionis naturalis, quod & appositissimum fuisset, & maximè confirmasset, Deum posse vinum in sanguinem transmutare, si probabile credidissent.

Denique fauent huic sententiæ duo Concilia, Carthaginense III. & Florentinum. Illud enim canon. 24. statuit, *Ne in sacrificiis offeratur amplius, quàm de vuis & frumentis*, id est, id quod ex illis conficitur. Hoc verò in decreto Eugenij *materiam calicis*, inquit, *esse vinum* non quodcumque, sed *de vite*. Atqui, si ex aqua fieri posset vinum, hoc neque esset de vuis, neque de vite: non ergo esset materia iuxta doctrinam horum Conciliorũ; sed neque differret essen-

tialiter ab alio vino de vite, aut ab eo posse discerni, &, si cum eo simul esset in calice, remaneret, eo conuerso in sanguinem, in propria substantia. quæ omnia sunt perquàm absurda, & ea vitantur, si dicamus ex aqua numquam fieri posse vinum.

Fauet etiam mos Græcorum, qui præter aquam, quam ante consecrationem calici infundunt, post eamdem, denuo aquam calidam apponunt: si enim actio mutua corruptiua inter aquam & vinum daretur, non sine magna irreuerentia, hoc ab ipsis fieret; credunt igitur aquam in vinum non cōuerti, vt ipsorum quidam doctissimi Romæ existentes à me consulti testati sunt. Immò hoc eodem more ostendunt, se quoque credere aquam immediatè conuerti in sanguinem. Nam alioqui, (cùm nolint conuerti in vinum,) post consecrationem adhuc aqua esset in calice, & frustra denuo ab ipsis apponeretur. Ne dicas autem hunc morem Græcorum esse damnandum. Nam & ab Ecclesia Romana permittitur, & eius meminit S. Germanus Patriarcha in Theoria rerum Ecclesiasticarum, qui floruit circa annum Domini D. CCXXVIII.

SE-

SECTIO XI.

Argumentis ab auctoritate contra nostram sententiam satisfit.

COmmuniuimus huc vſque ſententiã noſtram validiſſimis, & rationibus & auctoritatibus; reliquum eſt, vt eam ab Aduerſariorum telis defendamus. Exordiemur autem ab auctoritatibus, quæ in rebus theologicis meritò maximi fiunt,& præcipuum fundamentum Aduerſariorum ſunt. Pro quorum ſolutione notandum, nullum afferri ab ipſis teſtimoniũ, quo explicitè dicatur aquam non verti in ſanguinem (niſi fortè recentiorum) vt etiam aduertit Gaufredus apud Baronium: ſed argumentantur ab auctoritate negatiua,quia videlicet nonnulla Concilia, vel Patres nullam fecerunt aquæ mentionem. quod argumentum natura ſua eſt valdè infirmum,& in hac materia infirmiſſimum, ne dicam mortuum; tum quia vel ab iiſdem Concilijs & Patribus,vel ab alijs ſimilibus aquæ facta eſt mentio, tum quia ſub nomine vini comprehenditur etiam aqua ei admiſta, quia conſueuere homines miſtum ex aqua & vino appellare ſimpliciter vinum. Quæ generalis reſponſio,antequam deſcendamus ad particulares auctoritates, eſt firmiter ſtabi-

stabilienda. quod multis auctoritatibus & exemplis præstabimus.

Primùm ergo probatur ex Euangelio, nam illis verbis, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, solius vini fit mentio; & tamen certum est, in calice Christi admistam etiam fuisse aquam: ergo vini nomine in Euangelio comprehenditur etiam aqua. Quare quod ait Suarez, suam sententiam nonnullum fundamentum habere in Scriptura, non magis est verum, quàm in eadem Scriptura fundamentum habere sententiam Armenorum, qui dicebant, non esse in calice admiscendam aquam. quod tamquam hæreticum meritò damnatum fuit.

Secundò, est clarissimum testimonium Iulij I. qui dist. 2. de consecrat. cap. *Cùm omne*, inquit nihil aliud esse offerendum in Missa, quàm panem & vinum. nomine autem vini comprehendere etiam aquam admistam ex ipsomet patet, quia paulò pòst in eodem cap. vt suprà sect. 4. notauimus, docet vinum mistum aqua offerendum esse: si ergo etiam quando apponitur vino particula exclusiua, adhuc non censetur aqua exclusa, multò minùs exclusa censenda est, cùm vini tantùm, nulla addita particula exclusiua, fit mentio.

Tertiò, ex Concilio III. Carthagin. can. 24. (cui etiam S. Augustinus interfuit) in quo statuitur primùm, *Vt in Sacramentis corporis & sanguinis*

guinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mistum; ac posteà subiungitur: *Nec amplius in sacrificiis offeratur, quàm de vuis & frumentis.* ne igitur dicamus, Concilium sibimet esse contrarium; oportet fateri aquam etiam intelligendam secundo loco, quamuis non expressam. Quod verò ait Estius, ne putaremus esse materiam aquam, secundo loco fuisse prætermissam friuolum est. Nam ad hunc finem multò magis excludenda fuisset à traditione Domini; at Concilium inquit, ipsum Dominum tradidisse offerendum vinum aqua mistum: ergo cùm nolit Concilium dissentire à traditione Christi, nòn est existimandum voluisse prætermittere aquam, sed subintellexisse, licet non expresserit, quia iam cum vino misceri dixerat.

Quartò & clariùs, Armeni vinum tantùm in sacrificio Missæ offerebant, quibusdam verbis S Ioan. Chrysostomi moti, qui errorem impugnans adhibentium tantùm aquam, *Christus*, inquit, *vsus est genimine vitis: vitis autem vinum, non aquam generat.* Videbatur igitur S. Chrysostomus excludere aquam, tamen reuera non excludit, immò in sua liturgia adhibendam præcepit. & P P. Concilij Trullani canon. 32. ipsum ita intelligunt, vt noluerit aquam prohibere: ergo multò magis Patres illi, qui solius vini mentionem faciunt, ita intelligi debebunt

bebunt vt aquam non excludant.

Quintò, ex epiſtola Gaufredi à nobis ſuprà ſect.4. relata idem oſtenditur; nam Doctores in ea citati teſtantur, vinum aqua miſtum, etiamſi aqua præualeat, nuncupari tamen ſimpliciter vinum.

Sextò, ex Ariſtotele, qui cap.23. ſuæ Poëticæ ait, vinum miſtum aqua, quamuis totum non ſit vinum, ex conſuetudine tamen appellari abſolutè vinum.

Septimò, Plutarchus opuſculo de Ratione valetudinis obſeruandæ idem ſentit: *Vinum enim*, inquit, *aqua miſtum, etiamſi maior ſit aqua infuſa quàm vinum, vinum tamen vocamus.* Vocat autem Plutarchus hoc miſtum κεᾶμα, qua voce vſus eſt etiam Iuſtinus Martyr in Apologia ad Antoninum Pium ad calicem conſecratum ſignificandum.

Octauò, ex Concilio Tridentino idem comprobatur: nam ſeſſ.22.cap.7.docet Concilium, à Chriſto aquam in calice offerendo miſtam fuiſſe. ſeſſ. verò 13.cap.2. dicit, Chriſtum poſt panis & vini benedictionem corpus ſuum & ſanguinem diſcipulis tradidiſſe. quare cùm vno loco vini tantùm mentionem faciat, & altero etiam aquæ, vel dicendum eſt, Concilium ſibimet fuiſſe contrarium, vel certò certius eſſe debet, cùm vini tantùm mentionem fecit, non excluſiſſe aquam. At dicunt nonnulli, Idem Con-

Concilium ait cap.4.seſſ.12. fieri in hoc Sacramento conuerſionem totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem Chriſti, ergo non comprehendit aquam, quia nomen ſubſtantiæ cogimur in rigore phyſico intelligere. Reſp. facillimos certè hos homines eſſe, qui nullo negotio coguntur. Vnde enim, quæſo, hoc priuilegium habuit ſubſtantiæ nomen, vt in rigore phyſico intelligi debeat? An S. Paulus cùm dixit, fidem eſſe ſubſtantiam, in rigore phyſico ſumpſit? fides igitur non erit accidens, ſed ſubſtantia phyſica. præterea quis negauit ſubſtantiam in rigore ſumendam? ſi aquam diceremus eſſe accidens, vrgere nos poſſent; at dicimus non accidentia, ſed ſubſtantiam tum vini, tum aquæ, quæ ſub nomine vini comprehenditur, in ſanguinem verti.

Nonò. Simili omninò reſponſione, immò longè minùs probabili, vtitur Suarez diſp. 33. eiuſdem 3. tomi ſect. 1. vbi cùm ipſe defendat, balſamum eſſe de eſſentia materiæ Confirmationis, & ſibi obijciat, multos Patres olei tantùm feciſſe mentionem: Reſpondet, *Chriſma, quod ex vi nominis vnctionem tantùm ſignificat, apud antiquos Patres regulariter ſignificare compoſitum illud ex oleo & balſamo; quia verò præcipua pars eius compoſiti erat oleum, eiq; modicum balſamum miſcebatur, ideo mirum non eſſe, quòd interdum nomine olei ſignificaretur: præſertim cùm ex iiſdem*

ijsdem Patribus vel iisdem, vel alijs locis constaret huiusmodi Chrisma semper habuisse balsamum admistum. Atqui multò minùs mirum est, nomine vini aquam significari: nam mistio balsami cum oleo non solet vsurpari extra Sacramentum Confirmationis, vnde neque est in consuetudine hominum, vt nomine olei balsamum admistum intelligatur; at verò frequentissima est vini & aquæ mistio, & nomine vini etiam aqua mista solet communiter comprehendi, vt docuimus.

Decimò, & est verè appositissimum exemplum, Spiritum sanctum procedere à Patre, nulla facta mētione Filij: & multi Patres Græci, & Symbolum Nicænum in primo Constantinopol. Concilio confirmatum, & Euangeliū ipsum tradidit Ioan. 15. v. 26. & tamen, quia alij Patres docuerunt à Filio quoque procedere, & id etiam ex alijs Euangelij locis colligitur, definitum fuit in Concilio Florentino cōtra Græcos, non solum à Patre, sed etiam à Filio Spiritum sanctum procedere: ergo etiam licet quidam Patres, vel Concilia solius vini mentionem faciant, cùm tamen plures alij Patres, & alia Concilia aquæ quoque meminerint, non erit hæc excludenda à materia calicis.

Vndecimò, vnguentum asseruabatur antiquitus in templo ex varijs aromatibus & ex oleo confectum Exod. 30. num. 23. & tamen olei

solius

ſolius nomine nuncupari ſolet, vt aduertit acutiſſimus atque eruditiſſimus Ioan.de Pineda li.2.de Rebus Salomonis cap.6. quòd illo tamquam baſi & fundamento, ac parte primaria reliqua aromata immiſcebantur: ergo cùm in miſto,quod eſt materia ſanguinis,longè maior & potior pars ſit vinum; non mirum, ſi totum vini nomine nuncupetur, quamuis adſit etiam aqua miſta.

Duodecimò. Efficaciſſimè probatur ex D. Paulo. Nam cùm Exodi 28. dicatur Moyſes ſanguine aſperſiſſe populum,nulla aquæ facta mentione; S. Paulus ad Hebr. 9. inquit, admiſtam ei fuiſſe aquam, vt ſuprà retulimus; ergo quamuis ſolius ſanguinis facta ſit mentio, non tamē cenſetur excluſa aqua admiſta: multò minùs igitur, licet ſolius vini fiat mentio, aqua ei admiſta,& quæ longè frequentiùs cum vino, quàm cum ſanguine admiſcetur, eſt excludenda. Neque verò hinc efficitur, vt etiam in calice nomine ſanguinis comprehendi poſſit aliqua gutta aquæ ei admiſta; immò potiùs contrarium eſt colligendum.quod vt probem,

Noto priùs, aliquando verba pendere à rebus, vt cùm dicimus Chriſtum aquam poſuiſſe in calice,quod rectè dicitur,quia reuera Chriſtus poſuit: aliquando res pendere ab ipſis verbis, vt cùm Deus dixit, *Fiat lux*, tunc enim res ipſa verbum eſt ſecuta. Hinc autem efficitur,

tur, vt quando verba pendent à rebus, tunc non mirum, si verba impropriè sumantur quandoque, vt ipsis rebus aptentur; quando verò res pendent à verbis, cùm non ipsa rebus, sed res verbis sint accommodandæ, iuxta proprium & germanum eorum sensum sunt verba accipienda. Ratio est, quia in priori euentu res sunt priores, & ab ipsis verborum veritas pendet; quare siqua dissensio inter verbum & res apparet, debent verba ad res aptari, non verò res ad verba. At in posteriori euentu, cùm verba sint priora, & ex verborum sensu res ipsæ sint dimetiendæ, nulla est ratio, cur verba propriissimè non sumantur, & res ipsa verbis non consentiat. Declaratur hoc exemplis: si narrandum sit Moysis factum, quo sanguine aqua misto aspersit populum, licebit sine mendacio asserere, sanguine aspersisse populum, & nomine sanguinis comprehendere etiam aquam admistam, quia verba pendent à rebus, & reipsa aqua fuit admista; quamuis si aqua admista sanguini non fuisset, non licuisset dicere, Moysem aspersisse populum sanguine & aqua, quia rebus non possent per vllam expositionem conformari verba. Quando verò dixit Deus, *fiat lux*, non est dicendum aliquid aliud factum fuisse quàm lucem, quia res à verbis pependit, & siquid aliud factum fuisset, non vtique ex vi illius verbi, contra suppositum factum fuisset.

Simi-

Similiter si dicam, Hoc prædium est meum, quamuis particula ipsius prædij mea non sit, non censebor mendacium dicere; si verò dicam, Dono tibi hoc prædium, non licebit excipere ab hoc prædio aliquam partem, quia non verba à rebus, sed à verbis res pendet. Nunc ad rem nostram accedentes, quando dicimus, vinum esse materiam calicis, verba pendent à rebus, quia non idcirco vinum est materia, quia ego dico; sed contrà ego dico, Quia vinum est materia, & ideo nomine vini potest intelligi etiam aqua. At cùm dico in consecratione, *Hic est sanguis meus*, res ipsa pendet à verbis, & idcirco non licet aliquid excipere, sed totum illud quod continetur in calice, & demonstratur per pronomen *Hic*, fiet verè sanguis.

Decimotertiò, Genes. 2. legimus, dixisse Deum Adamo, *Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*, nulla Euæ facta mentione, cui tamen etiam hoc præceptum datum fuisse nulli dubium esse potest; alioqui enim dum de ligno illo cōedit, nequaquam peccasset. cur igitur Adam solius facta est mentio? quoniam, vt rectè notat Pererius, ipsi Adæ principaliter præceptum datum est. Adde, quòd vxor pars quædam viri censetur, ac proinde quod viro dicitur, de eadem etiam est intelligendum. Qua ratione etiam Titelmannus, & alij graues Doctores asse-

runt, dæmonem auſum non fuiſſe Iobi vxorem interficere,ſicuti filios, quia in præcepto de anima & vita Iobi ſeruanda, etiam vita ipſius vxoris intelligitur comprehenſa. Cui etiam affine eſt, quod aiunt Iuriſperiti, vxorem mutare proprium, viriq́ue ſortiri domicilium & forum. l. *cùm quadam*, & ibi notant Doctores, de iuriſdictione omn. iud. & l. *exigere*. ff. de iud. Immò etiam eiuſdem ciuitatis cenſeri ciuem, & eiuſdem originis cum viro, vt tenet Gloſſ. in l. *Ciues*. C. de incolis. & l. *orig*. C. de municip. & orig. & alij complures, quos refert & ſequitur Andreas Tiraquell.li.1.conn.n.28. & ſeqq.Sed non eſt prætermittēda ratio,quam affert Baldus conſ. 110. §. *Conſiderato,quòd dicta domina Agnes*.poſt princ.lib.5.inquit enim,hoc probari ex virtute vnionis, in qua id quod potentius eſt, trahit ad ſe id quod eſt minùs dignum,vt plenè legitur & notatur in cap.1.Extrau. de ſede vacante:ſed nulla maior vnio,quā coniugalis, per quam vir & vxor efficiuntur vna caro, & vna ſubſtantia in duabus perſonis. Ex eodem fonte manat, quòd augmentum apud Iuriſperitos ſequitur naturam principalis. l.*Si ex toto*.ff.de leg.fideic. Vbi Iaſon, *Nota*, inquit, *ex hoc textu, quòd idem iudicamus de augmēto,quod iudicamus de ſuo principali, quia acceſſorium debet iudicari eiuſdem natura, cuius eſt ſuum principale.*

Ex

Ex quibus omnibus colligitur, quòd mentione facta tantùm de principali, idem etiam censetur dictum de minùs principali illi vnito, vel addito: atqui in materia sanguinis, siue (ne sit lis de nomine) in calice, principale est vinũ, accessorium & minùs principale est aqua: ergo id, quod de solo vino dicitur, de aqua quoque est intelligendum, cumque dicatur vinum verti in sanguinem, verti quoque intelligenda est aqua. Hæc igitur pro generali responsione dicta sint.

Nunc ad particulares auctoritates descendemus Ad Concilium Carthagin. patet ex tertio exemplo suprà allato. Ad Concilium Triburiense respondeo, si omnino paritas seruari deberet inter vinum, quatenus significat sanguinem; & aquam, quatenus populum; oporteret, vt, sicuti vinum vertitur realiter in sanguinem Domini, ita aqua verteretur in populum. quod nullo pacto est dicendum. Satis ergo significatur vnio populi cum Christo ex eo, quòd vinum & aqua vnum fiunt in Christo, vt dicitur c. *Oportet*. dist. 2. de consecrat. & remanent accidentia aquæ cum accidentibus vini: alioqui si aqua remaneret, cùm verè non misceretur, nec vniretur cum sanguine Christi, non bene repræsentaret vnionem populi cum Christo. Ad auctoritatem Synodi Trullanæ Resp. non rectè fuisse ab Aduersarijs allatam; verba enim

eius hæc ſunt, *Aquam vino miſcendam tradidit* (S. Ioan. Chryſoſt.) *quando incruentum peragi ſacrificium oportet; ex pretioſo & honorando noſtri Redemptoris latere ex ſanguine & aqua contemperationem oſtendens, quæ in totius mundi viuificationem effuſa eſt*, &c. Non ergo dicunt, vt referebat Eſtius, peragi ſacrificium incruentum ex aqua & ſanguine: aqua enim non ſacrificatur, neque concurrit ſimul cum ſanguine Chriſti ad noſtram redemptionem; ſed affirmant repræſentari in ſacrificio incruento effuſionem ſanguinis & aquæ ex latere Chriſti, ad quod nihil refert, vt iam ſæpè diximus, quòd aqua in ſua ſubſtantia permaneat.

Ad Concilium Florentinũ, ſicut & ad Tridentinum pro reſponſione ſufficiunt, quæ diximus ſuprà ſect. 4. vbi oſtendimus à nobis ſtare, Ad Lateranenſe reſp. vini nomine etiam aquã comprehendiſſe, non explicitè autem tradidiſſe, quia ſumma tantùm capita fidei proponebat, & ſupponebat, quæ iam tradiderat Concil. Florentinum, quod aquæ expreſſè meminerat.

Ad ſecundum, quoad Iulium & Innocentium Pontifices, patet eſſe pro nobis ex ſect. 4. Quoad Catechiſmum reſp. non fideliter fuiſſe ab Aduerſarijs adductum. Eius autem verba ſunt: *Illud autem ſacerdotibus animaduertendum eſt, quemadmodum in ſacris myſteriis aquam vi-*

no

no adhiberi oportet, sic etiam modicam infundendam esse: nam Ecclesiasticorum scriptorum sententia & iudicio, aqua illa in vinum conuertitur, quare de eo Honorius Pontifex, &c. Quis autem non videat, longè diuersam esse Catechismi sententiam ab ea, quam illi Aduersarij, ac potissimùm P. Suarez imponit? *Non conuerti in sanguinem, nisi priùs conuertatur in vinum*, refert Suarez; *conuerti in vinum*, inquit Catechismus, de non conuersione in sanguinem ne verbum quidem: *omnium Ecclesiasticorum*, refert Suarez; *Ecclesiasticorum* indefinitè, ait Catechismus. Non idem autē esse quod ait Suarez, & quod Catechismus, ex eo etiam patet, quòd plures Theologi, vt Alanus, Pesantius, & alij dicunt, aquam conuerti in vinum, iuxta id quod affirmat Catechismus, tamen si conuersa non sit tempore consecrationis, dicunt immediatè conuerti in sanguinē: non ergo idem est, conuerti in vinum, quod tantùm ait Catechismus; & non conuerti immediatè in sanguinē, quod illi tribuit Suarez. Quid plura? nónne ipsemet Suarez apertè ostendit, hîc duo esse diuersa? nam de primo inquit, *Tertium* (ex iis videlicet, in quibus dixerat, omnes ferè Theologos conuenire) *& ad vsum pertinens, est, sacerdotem debere aquam miscere ea intentione & modo, vt verisimile sit, posse facilè in vinum conuerti ante consecrationem.* De secūdo verò, *Controuersia*, inquit,

supereſt, ſi interdum contingat tempore conſecrationis aquam non eſſe in vinum conuerſam, vtrùm maneat, an immediatè conuertatur in ſanguinem. Si ergo illud eſt ferè certum ſecũdùm Suarez, & hoc controuerſum, ergo ſunt duo diuerſa; & vlteriùs; ergo conſiſtere poteſt, vt quis exiſtimet, ponendam eſſe in calice aquam, ita vt conuertatur in vinum,& tamen affirmet,dato, quòd in vinum conuerſa non ſit,in ſanguinem tranſmutari. Cur ergo, cùm Catechiſmus primum tantùm dicat,affertur ab ipſo pro ſecundo? Certè ſi dixiſſet,Catechiſmum illi ſententiæ fauere, vel in illam inclinare, mirandum non eſſet: at ſimpliciter aſſerere,Catechiſmum hanc ſententiam omnibus Eccleſiaſticis tribuere,hoc certè nimium fuit, illi præſertim, qui ſuperiùs dixerat, Concilium Tridentinum inclinare tantùm in ſententiam, quæ affirmat, Chriſtum appoſuiſſe aquam in calice, cùm tamen Concilium,vt ſect.3. notauimus, anathema dicat in contrarium ſentientes.

Verùm,quamuis non id dicat Catechiſmus, quod refert Suarez,videtur tamen adhuc contra nos pugnare. Primùm,quia militat contra eam partem ſententiæ noſtræ,in qua aſſerimus aquam in vinum non tranſmutari.Deinde,quia ſi aqua poſſet immediatè in ſanguinem conuerti,nihil referret, quòd tam modica apponeretur, vt in vinum conuerteretur. Reſpondeo

ad

ad primum, Catechiſmum non tamquam veram & certam approbare illam ſententiam de conuerſione aquæ in vinum: nam ſi pro certo habuiſſet, aquam in vinum conuerti, hoc ſimpliciter aſſeruiſſet, ſicuti & cætera conſueuit, ſed neque ad ipſum ſpectabat, cùm philoſophiam non doceret; tantùm igitur retulit id ſentire Eccleſiaſticos, quod etiam nos fatemur; dicimus tamen hos Eccleſiaſticos, ſicuti & ipſum Catechiſmum, intelligi de conuerſione morali. Nam ex eis complures explicantes hanc aquæ conuerſionem dicunt, *Ita, vt aqua ſaporem vini retineat*. ita Bertachinus in ſuo Repertorio verbo *Aqua*: & longè antè Innocent. lib. 4. de myſteriis Miſſæ c. 31. At qui dicit, aquã retinere ſaporem vini, non dicit in vinum conuerti, niſi moraliter vel accidentaliter, quia ſapor eſt accidens, & quod retinet aliquod accidens, debet exiſtere ſecundùm ſuam ſubſtantiam: ergo hoc tantùm voluerunt Eccleſiaſtici, & conſequenter Catechiſmus.

Præterea, ad hoc vt aqua ſubſtantialiter conuertatur in vinum, ex Aduerſariorum ſententia non ſufficit modicam eſſe, niſi etiam per aliquod temporis ſpatium ei infuſa permaneat; vt verò conuertatur moraliter, nullum temporis ſpatium requiritur poſt miſtionem. Atqui Catechiſmus de tempore nullam mentionem facit, ſolumque de aquæ paucitate meminit:

nit: ergo non de ſubſtantiali, ſed de morali ſiue accidentali conuerſione loquitur, vel, vt aliquid etiam Aduerſarijs demus, de conuerſione indefinitè, ſiue ea ſubſtantialis, ſiue accidentalis ſit: vtra enim eſſet, nihil eius intererat.

Tandem, cùm ſit res omnino philoſophica, rationi euidenti credendum eſt potiùs, quàm dubiæ aliquorum Eccleſiaſticorum ſententiæ. At cur retulit Catechiſmus hanc ſententiam, ſi, vt diximus in prima parte noſtræ reſponſionis, non approbauit? quoniam in Sacramentis debemus ſemper tutiorem partem ſequi, illa autem eſt tutior pars, quæ in omni ſententia locum habet. vt ergo non tantùm iuxta noſtram, ſed etiam iuxta Aduerſariorum ſententiam ritè perficeretur Sacramentum, retulit Catechiſmus, aliquos id ſentire, non contrariũ damnans, ſed id docens quod tutiſſimum erat; nam etſi non concedamus nos, aquam conuerti in vinum, nullum tamen cenſemus adeſſe periculum, ſi tam modica aqua apponatur, vt ſecundùm illam opinionem, quæ id aſſerit fieri poſſe, ſit conuertenda in vinum. quare qui modicam ponit iuxta id quod docet Catechiſmus, in omni ſententia periculum non rectè conficiendi Sacramentum euitat.

Ad ſecundum eadem ratione Reſpondeo, ſi eſſet omnino de fide, aquam immediatè conuerti in ſanguinem, parum vel nihil referret, ſi

ita

ita apponeretur aqua, vt non conuerteretur in vinum: sed quia hoc est controuersum, & ex illis quoque qui volunt aquam conuerti immediatè in sanguinem, aliqui nihilominùs affirmant, melius esse, vt eo pacto apponatur, vt priùs conuertatur in vinum; rectè Catechismus admonuit sacerdotes, vt tam parum aquæ apponerent, vt etiam secundùm illorum sententiam, qui volunt debere priùs aquam in vinum conuerti, nihil sequatur in hoc Sacramento absurdi. Debemus enim ita Sacramenta conficere, vt, si possibile sit, vitentur incommoda, quæ ex qualibet sententia non omnino reiecta sequi possunt. Dici etiam posset locutum fuisse Catechismum de conuersione morali, quam admittunt omnes, quia non considerabat physicas subtilitates. Sed de Catechismi auctoritate hactenus, progrediamur ad reliqua.

Ad tertium. Quoad S. Cyprianum, respondeo, ipsum longissimè abesse ab Aduersariorum sententia, iisque ipsis verbis, quæ attulerunt, nihil illis fauere. nam, cui magis credendum est S. Cypriani mentem explicanti quàm S. Augustino? Audiamus igitur, quid de hoc loco S. Cypriani sentiat S. Augustinus: adducit quippe hic sanctissimus Doctor verba S. Cypriani suprà citata li. 4. de Doctr. Christ. c. 21. & ipsius mentem explicans inquit, *Soluitur ibi quæstio, de qua quæritur, Vtrùm calix Dominicus aquam*

aquam solam, an eam vino mistam debeat habere. hæc S. Augustinus. Quibus verbis ostendit, tantum abesse S. Cyprianum, vt definiat aquam non conuerti in sanguinem, vt neque hac de re loquatur. Præterea, neque inquit probare vinum tantùm in calice sine aqua offerendum: quod ex mente Aduersariorum esset concludendum; sed supponendo, aquam debere apponi, totum esse, sicut reuera est, in probando, aquam solam non sufficere, sed debere etiam addi vinum. Quòd si S. Augustino non credunt, sancto Cypriano non debent saltem negare fidem. Explicet igitur S. Cyprianus, quid in illa epistola probare intendat. Proponit ergo S. Cyprianus in principio epist. quid probare intendat, dicens: *Quoniam quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando non hoc faciunt, quod Iesus Christus fecit & docuit.* Explicat deinde, quid fecerit & docuerit Christus Dominus, dicens: *Vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mistus vino offeratur.* Et statim subdit verba suprà citata, *Nam cùm dicat Christus, Ego sum vitis*, &c. Contédit igitur probare offerendum esse calicem ex aqua & vino mistum, & non aquam tantùm. Idem colligitur tum ex toto contextu illius epistolæ, tum ex conclusione, quam ex rationibus & testimonijs, quæ attulerat, infert, dicens, *Non est ergo, frater carissime,*

quòd

quòd aliquis existimet, sequendam esse quorumdam consuetudinem, siqui in præteritum aquam solam offerendam putauerint. Et horum errorem impugnans inquit: *Miror satis, vnde hoc vsurpatum sit, vt contra Euangelicam & Apostolicam disciplinam, quibusdam in locis aqua offeratur in Dominico calice, quæ sola Dominicum sanguinem non possit exprimere.* Nota, non negare aquam posse exprimere sanguinem, sed non solam. Vel igitur S. Cyprianus intendens probare, aquam non conuerti in sanguinem, colligit deinde ineptissimè, vinum cum aqua in calice miscẽdum esse. Vel dicendum est, numquam ei in mentem venisse illud, quod Aduersarij, eum voluisse, probare contendunt.

Præterea, si ex illis verbis, *Sanguis Christi non aqua est vtique, sed vinum*, & similibus, dicant Aduersarij colligendum esse, aquam non conuerti in sanguinem; quamuis id non intenderit S. Cyprianus; ergo ex illis etiam colligi debebit, vinum tantùm in calice offerendum esse, nam de appositione vini in calice agebat S. Cyprianus, non autem de conuersione; si igitur de appositione non probat, multò minùs de conuersione.

Confirmatur, quia non inquit S. Cyprianus, Vinum fit sanguis, sed vinum est sanguis. quod cùm in rigore verum non sit, apparet hæc ipsum non protulisse, vt demonstraret, vinum solum

ſolum vel eſſe, vel fieri ſanguinem Domini, ſed tantùm vt metaphoræ ſuprà allatæ de vite alluderet, cuius ſanguis dicitur eſſe vinum iuxtà illud, *Et ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum.* quaſi diceret, ſicuti ſanguis vitis non eſt aqua, ſed vinum, ita cùm Chriſtus dicatur vitis, ineptè quidam aquam ſolam materiam eius ſanguinis aſſerunt. Et ſicuti dum dicitur in Euangelio, *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*, eſt ſenſus, magis peccatores, quàm iuſtos; & illud, *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*; rectè exponitur, magis miſericordiam volo, quàm ſacrificium: ita S. Cyprianus inquit, non aquam, ſed vinum eſſe ſanguinē, id eſt magis vinum, quàm aquam, vel non aquam ſolam. Prudenter igitur Suarez, & alij melioris notæ ſcriptores numquam hæc S. Cypriani verba contra noſtram ſententiam adduxerunt, immò in genere faſſi ſunt hanc epiſtolam nobis fauere: videbant enim, nimis apertè eius mentem aliam non eſſe ab ea, quam nos cum S. Auguſtino ſuprà explicauimus.

Hinc etiam patet, quàm parum probabiliter dixerint quidam, reliquos Patres iuxta hæc dicta S. Cypriani eo modo, quo ipſi volunt, intellecta, explicari debere. Primùm enim verba S. Cypriani ipſis, vt vidimus, nullatenus fauent. Secundò, nullo pacto auctoritates Patrum verbis Cypriani ad eorum mentem intel-

tellectis accommodari possunt. Quid enim dicunt Patres? Aquam,& vinum in sanguinem Christi conuerti. Quid ex eorum mente S.Cyprianus? Vinum tantùm, & non aquam conuerti; erit igitur expositio, aquam conuerti, id est aquam non conuerti: quam, nisi quis aqua ipsa sit insulsior, approbare non poterit. Non sunt igitur reliqui Patres per hæc verba Cypriani explicandi; sed ipse Cyprianus per ea, quæ tum alij Patres, tum ipse etiam in eadem epistola docet, explicandus est, vt neget scilicet aquam esse sanguinem Christi, id est aquam solam,& vino non mistam.

Ad S.Ioann.Chrysostomum responsio iam ex Synodo Trullana suprà allata fuit in 4. exemplo. S. Augustini auctoritas est tantùm negatiua, quare per primam generalem regulam est exponenda, præcipuè cùm idem S.August. in Concilio Carthagin. III. vt suprà retulimus, censuerit aquam cum vino esse offerendam. Rabanum quoque esse nobiscum, suprà sect. 5. docuimus. Ad id, quod asseritur, Patres numquam asseruisse, aquam esse materiam calicis; respondeo, licet fortè vsi non sint hac voce *materia*, quam non facilè apud veteres vsurpatam reperies neque quoad vinum, sufficienter tamen indicasse esse materiam, dum dixerunt, in sanguinem Christi conuerti.

Ad quartum, fateor, nonnullos Theologos con-

contra nos ſentire, ſed multi quoque nobiſcum ſentiunt, &c, quod pluris faciendum eſt, Patres omnes, Concilia & rationes: non tamen omnes illi, qui ab ipſis citantur, ſunt contra nos, vt ſuprà oſtendimus de S. Thoma, Alenſi, D. Bonauentura, & alijs nonnullis. Nec facilè apud veteres Scholaſticos reperies, qui dicant, aquã remanere ſimul cum ſanguine, licet affirment plurimi, aquam verti in vinum. quod non aduerſatur huic noſtræ theologicæ ſententiæ. Exponi præterea poſſent de quadam conuerſione morali, vt ſuprà diximus; & conſiderandum eſt etiam, eos obiter potiùs hanc quæſtionem attigiſſe, vt etiam aduertit Eſtius, quàm exactè pertractaſſe, vt non ſit mirum, aliquos ex ipſis à veritate aberraſſe. Nec eſt prætereundum, Hugonem, qui cæteris eſt antiquior, in cap. 6. Ioan. cùm eamdem hanc quæſtionem mouiſſet, duobus verbis eam abſoluiſſe, dicendo, *ſe neſcire, an illa aqua verteretur in ſanguinem, vel in ſua ſubſtantia in calice permaneret*: quare etſi alibi alteram partem amplectatur, non eſt cenſendus ei firmiter adhæſiſſe, nec eſt eius auctoritas magnifacienda. Gabriel quoque non loquitur de ſententia aſſerente aquam remanere in propria ſpecie, ſed de ea, quam tradidit Innocentius: hæc enim ſunt eius verba, *Ideo fuit tertia opinio, quòd aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem miſta vino. hanc opinionem*

dicit

dicit Innocentius probabiliorem, quam communiter sequuntur Doctores Theologi, S. Thomas, Scotus, & cæteri tamquam indubitatam. Non est autem hæc sententia contra nos, immò est ea ipsa, quam nos sequimur, licet non tam clarè explicet immediatè conuerti in sanguinem, sicuti neque negat. Et quamuis Gabriel videatur necessariò prærequirere, vt priùs aqua transeat in vinum, non audet tamen dicere, ipsam remanere cum sanguine: & multo minùs Sotus, qui etiam affirmat, magnum sacrilegium commissurum sacerdotem, qui aquam apponeret, quam sciret simul cum sanguine in propria specie permansuram. De consuetudine autem Patrum Dominicanorum Estius, cuius sententiæ videtur ea fauere, hæc habet verba oratione 15. *Licet hodiè multorum vsu receptum sit, vt ante Missam inchoatam aquæ admistio fiat, velut Fratrum Dominicanorum, & quarumdam aliarum Ecclesiarum, vt testatur Domin. Sotus in 4. dist. 9. sub finem quæstionis primæ. Sed vsus ille recentior est, sicut & ille, de quo Gabriel in expositione Canonis Missæ, vt ante Euangelium aqua apponatur: at meritò præferendus est hac in parte mos Ecclesiæ Rom. qui habet, vt ea mistio demum fiat imminente oblatione, idest, quando sacra mysteria inchoantur: & ita oportere fieri docet S. Thomas, & ex eo Syluester.*

Verùm ego non absque rationabili causa hunc morem apud sapientissimos & religio-

ſiſſimos Patres Ordinis Prędicatorij inualuiſſe crediderim; eamque præcipuam fuiſſe, vt, ſicuti ante Miſſam materia corporis Domini in patena collocatur;ita etiam materia ſanguinis, vinum ſcilicet cum aqua, in calice apponeretur. ex quo noſtra ſententia probatur potiùs, quàm improbatur. Si quis autem obſtinatè contendat ea potiſſimùm ratione tunc apponi, vt faciliùs ante conſecrationem in vinum conuertatur, Eccleſiam quoque Romanam, quæ hunc morem non ſeruat, de aquæ in vinum conuerſione non eſſe ſollicitam, ac proinde mirum in modum noſtræ ſententiæ fauere, idem fateatur neceſſe eſt.

Imò fauebit & hic idem PP. Dominicanorum mos; non enim,vt quidam ex noſtris Aduerſariis affirmabant,nihil referre exiſtimabũt, vt aqua ſimul cum ſanguine Chriſti permaneat; cùm hoc tantopere caueant, ſed pro maximo inconuenienti habebunt,vt verè habent. & meritò. Nam Didacus Nuñez eiuſdem Prædicatorij Ordinis, q.74.art.8. de illa ſententia. quæ aquam in propria ſubſtantia remanere aſſerebat, loquens, hæc habet verba: *Secunda ſententia relinquitur ab illo (Innocentio) tamquam improbabilis, & noſtris temporibus iam eſt temeraria. Primò, quia eſt contra communem ſententiam Scholaſticorum, & Doctores ſancti communiter docent, totum illud quod continetur in calice, conuerti in*

in sanguinem Christi. Censent igitur Patres Dominicani, vt ex hoc eorum auctore colligitur, totum illud, quòd continetur in calice, id est, vinum & aquam ei admistam, in sanguinem Christi conuerti; quia tamen sciunt, nonnullos quoque esse in contraria sententia, vt omne periculum minus rectè hoc Sacramẽtum conficiendi, caueant; aquam in principio Missæ vino apponere tutius existimarunt.

Ad auctoritatem Græcorum Resp. Græcos antiquos, & verè Catholicos aquam vino ante consecrationem miscuisse, vt constat ex Ioanne Damasceno, & alijs Patribus suprà citatis. De Neotericis verò dubium esse potest: Card. enim Bellarminus lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ contendit, hunc errorem falsò illis imponi: Estius autem, & quidam alij verè ascribi. De his qui Romæ existunt, mihi compertum est, & ante, & post consecrationem aquam apponere, vt etiam sect. 10. in fine notauimus: an verò quidam alij Ecclesiæ Romanæ non communicantes, tantùm post consecrationem admisceant, parum refert: vtcumque enim sit, de ipsorum auctoritate, quæ, si nobis aduersatur, ritibus quoque sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est infallibilis veritatis regula, repugnat, non sumus solliciti.

SECTIO XII.

Argumenta contra nostram sententiam ex ratione deducta diluuntur.

PRoponebatur quinto loco ratio, cuius summa est: Apponitur aqua vino consecrando, non ex præcepto Christi, sed Ecclesiæ tantùm; ergo non est materia. Ad quod Resp. & antecedens vel falsum, vel valdè incertum esse, & consequentiam infirmam & inefficacem.

Quoad antecedens, duæ sunt Theologorum sententiæ, altera negans, aquæ mistionem esse præceptum diuinum, altera affirmans: priorem, inquit Suarez sect. 2. esse communem Doctorum, sed nimiùm fauet suæ sententiæ. nam pro ea citat sequentes tantùm, Scotum in 4. dist. 11. q. 7. in fin. Durand. quæst. 5. Sotum dist. 9. qu. 1. art. 9. Ledesmam p. 10. art. 7. Gabrielem lect. 35. in Canonem, & Gulielmum Durandum lib. 4. Rationalis cap 30. ex quibus etiam nonnulli subobscurè & dubitatiuè loquuntur, & ferè omnes potiùs affirmant, esse hoc præceptum Ecclesiæ, quàm negent esse præceptũ diuinum. Sotus etiam videtur esse in contraria sententia: nam inquit, non esse dubitandum, quin Apostoli ab ipso Christo hanc traditionem acceperint. At verò esse præceptum diuinum,

num, affirmat Alexander Alenſ. parte 4. q.32. memb.5. a.6. Hoſius in Conf. cap.14.in initio. Alfonſus à Caſtro verbo *Eucharistia* hæreſi 7. Gulielmus Alanus lib.1. de Euchar. c.13. Gregor.de Val.diſp.6 in 3.p.lib.1.qu.2. qui etiam pro eadem ſententia Sotum citat, & Henriquez lib.8.c.12. Nec diſſentit Card.Bellarminus, qui cap. 11. lib. 4. de Sacrament. Euchar. inquit, *hoc eſſe imperatum vel à Deo immediatè, vel per Concilia, & Eccleſiam.* & hæc videtur probabilior ſententia. Primò, quia conformior dictis Patrum; nam S.Cyprianus epiſt. 63. inquit, contra diuinum mandatum & inſtitutionem fieri, ſi aqua vino non miſceatur. Similiter Concilium Africanum cap. 4. & Aurelianum IV. c. 4. idem vocant *ſacratiſſimum mandatum, & Saluatoris inſtitutionem.* Concilium quoque Carthaginenſe III. cap. 24. & Trullanum can.32. *Diuinam Chriſti traditionem* appellant. Denique antiquiſſimi Pontifices, vt aduertit Valentia, cùm hanc miſtionem aquæ faciendam eſſe aſſerunt, tamquam de re loquuntur, quam non ipſi primùm præciperent, ſed quæ neceſſariò fieri deberet ex traditione Chriſti & Apoſtolorum, & ipſemet Suarez fatetur à temporibus Apoſtolorum hoc præceptum manaſſe: atqui iuxta regulam ab ipſomet Suarez approbatam diſp.66. to. 3. ſect.3. indicium iuris diuini eſt, quando aliquid ab

vniuersa Ecclesia obseruatur, quod neque ab aliquo Pontifice, neque à Concilio præceptum est, sed initium eius ignoratur; ergo cùm constet semper in Ecclesia obseruatū fuisse hunc morem aquam vino miscendi, antequam præceptum aliquod Pontificis, vel Concilij extaret, signum profectò est, ex diuino mandato manasse. Confirmatur præterea, quoniam verba illa, *Hæc quotiescumq; feceritis in mei memoriam facietis*, præceptum continent eo modo conficiendi Eucharistiam, quo Christus confecit. quod præceptum quamuis non debeat extendi ad omnes circumstantias, nam alioqui esset etiam iuris diuini consecrare in azymo, non videtur tamen excludenda aquæ mistio. Primò, quia est res valdè grauis, & ad Sacramenti significationem non parum conferens. Secundò, quia fuit circumstantia per se intenta, nam quòd Christus consecrauerit in azymo, ex occasione fuit dierum azymorum: similiter quòd vesperi & post manducationem Agni Paschalis, circumstantiæ fuerunt, non propter Sacramentū secundùm se intentæ, sed prout à Christo instituebatur in fine suæ vitæ, in principio nouæ legis, &c. At mistio aquæ non alia ratione, nisi propter Sacramentum secundùm se instituta fuit. Tertiò, nemo meliùs declarare nobis potuit, quasnam circumstantias in hoc Sacramento obseruandas præceperit Christus,

ſtus,quàm Apoſtoli; ipſi autem tamquam præceptum nobis tradiderunt hanc aquæ miſtionem,ergo ſignum eſt,ita etiam eos intellexiſſe Chriſti Domini verba.

Dices,At Concilium Tridentinum ait, hoc eſſe ab Eccleſia pręceptum,ergo ſupponit non eſſe mandatum diuinum. Reſpondet idem Suarez, Concilium non excludere Dei præceptum, ſed tantùm aſſerere eſſe Eccleſiæ, cum quo ſtat, vt ſit etiam ipſius Chriſti. & exemplum ex ipſomet Suarez afferri poteſt, qui libro 4.aduerſus Anglicanæ ſectæ errores ca.9. docet, priuilegium exemptionis Clericorum immediatè, & cum omni proprietate eſſe de iure diuino, & nihilominus eſſe etiam de iure Canonico declarante ius diuinum, & priuilegium hoc conſeruante. Addit Valentia, Concilium tradidiſſe id tantùm,quod erat certiſſimum, quod verò erat probabiliſſimum, ſed non certum,noluiſſe definire.quare quod ſubíjcit Suarez, illum modum loquendi non ſolere vſurpari in rebus, quæ ſunt de iure diuino præceptæ, eſt intelligendum de illis rebus, quas, certum eſt, eſſe de iure diuino. Addo, vocari præceptum Eccleſiæ, quia quamuis ſit Chriſti, tamen in Euangelio non habetur, ſed ab Eccleſia nobis proponitur.Et idem dici poteſt ad alias auctoritates, quas pro ſua ſententia affert Suarez.

Adiungit præterea Suarez pro hac sententia coniecturam, quia si hoc esset diuinum præceptum, vix posset reddi ratio, cur etiam non esset de necessitate Sacramenti, quia hæc necessitas solùm oritur ex institutione & præcepto Christi, vnde in omnibus alijs materijs Sacramentorū, quidquid ex institutione & præcepto Christi necessarium est, est etiam de necessitate Sacramenti. Respondeo, mistionem aquæ esse de necessitate Sacramenti, non defuisse qui sentirent, vt refert S. Bernardus epistola 96. ita enim opinatus est Armacanus li. 9. de quæst. Armenorum cap. 9. & Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 10. inquit, dubium esse inter Theologos, an sit de necessitate Sacramenti, neque Concilium aliquod reperitur, quod aliquam partem definierit, licet & Concilia, & Patres & Theologi parti negatiuæ faueant: quam etiam ego censeo esse longè probabiliorem, non tamen adeò certam, vt inquit Suarez. Ratio autem, cur non sit de necessitate Sacramenti, multiplex potest afferri. Prima & præcipua est, voluntas Christi, quam nobis declarauit Apostolorum traditio. Secunda, quia aqua non adhibetur vt materia principalis, sed vt adiuncta vino, ita vt vino incorporetur; se habet igitur non tamquam pars essentialis, sed tamquam commateria, siue pars, quæ ad perfectionem accidentalem pertineat:

ali-

alioqui enim si requireretur tamquam materia per se principalis, deberet seorsum à vino consecrari, vt seorsum consecratur panis, & dicerentur esse duæ materiæ calicis, cùm verè vnica tantùm sit, quæ tamquam parte essentiali vino constat, & tamquam accidentali aqua. Tertia, quia cùm sit institutum hoc Sacramentum cum proportione ad refectionē corporalem, & in hac non sit adeò commune & necessarium, aquam vino misceri, quin aliquādo contrarium fiat; neque propterea censeatur quis diuersum essentialiter potum ab aliis bibere, congruum fuit neque in ipso Eucharistiæ conuiuio, tamquam de necessitate Sacramenti aquæ mistionem institui. Quarta denique ratio desumi potest ex aquæ significationibus, quæ non sunt essentiales huic Sacramento, vt notat S. Thomas in 4. dist. 11. qu. 3. & 3. p. q. 74. art. 8. nam plurimum spectant ad effectum eius, ad vnionem scilicet Christi cum Ecclesia, vel ad effusionem aquæ de latere, quæ non fuit causa nostræ redemptionis, cùm post Christi mortem, quando ampliùs mereri non poterat, contigerit.

At, inquit Suarez, distinctio de materia sufficienti & necessaria inaudita est in aliis Sacramentis, præterquàm Pœnitentiæ, in quo fuit specialis ratio in natura rei fundata. Cæterùm replicari facilè poterit, si fuit specialis ratio in

Sacramento Pœnitentiæ, cur non poterit etiam esse in Sacramento Eucharistiæ? Adde, quòd in Sacramento Confirmationis à grauibus Theologis idem prorsus asseritur: dicunt enim multi, oleum esse materiam necessariam Confirmationis, balsamum autem congruam tantùm, non verò necessariam, vt refert idem Suarez disp. 33 in 3. p. sect. 1. & Henriquez li. 8. c. 12. quam sententiam licet multi impugnent, nemo tamen quod viderim, eam reprehendit, quòd materiam sufficientem statuerit diuersam à necessaria: non igitur hoc debet haberi pro inconuenienti in hac nostra sententia.

Nota tamen, non rectè dici aquam esse materiam sufficientem huius Sacramenti, quia sequeretur posse Eucharistiam confici in aqua tantùm, quod est hæreticum: potiùs ergo dici debet esse pars materiæ ad perfectionem accidentalem spectans; sicuti capilli, & dentes in homine, quamuis sint partes substantiales, spectant tamen ad perfectionem accidentalem ipsius hominis, non ad essentialem. Similiter quòd panis sit azymus, quòd quis accedat ad Sacramentũ Pœnitentiæ contritus, sunt quædam perfectiones accidentales materię, quamuis magis, vel minùs necessariæ pro conditione ipsarum, & voluntate Christi instituentis, & idem ferè non erit difficile in alijs Sacramentis inuenire, quamuis cùm huic Sacramento sum-

ſumma debeatur reuerentia, mirum non eſt, aliquam perfectionē accidentalem illi conuenire de iure diuino, quam fortè non facilè in aliis Sacramentis reperias.

Oſtenſum eſt igitur, antecedens illud, Chriſtus non præcepit aquam apponi, vel falſum, vel incertum eſſe; quare ſicut Aduerſarij argumentabantur, aquam non eſſe materiam, quia Chriſtus non præcepit apponi, longè melius argumentari nos poſſumus, materiam eſſe, quia ipſe apponi præcepit. Sed dato etiam, quòd non præcepiſſet, non tamen valeret illatio, ergo non eſt materia; nam neque præcepit, nos confiteri peccata venialia, & tamen eſſe poſſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ; neque præcepit, in pane fermentato conficiendum eſſe hoc Sacramentum, & tamen ſi conficiatur, verè panis fermentatus eſt materia. Multò minùs præcepit, commiſceri hordeum tritico, & tamen parum hordei multo tritico commiſtum, panem efficit, qui totus eſt materia corporis Chriſti.

Adde, Eccleſiam non poſſe quidem inſtituere nouam materiā Sacramentorum, poſſe tamen quoad vſum determinare veterem. Exempli cauſa: Poteſt Euchariſtia confici ex vino tum albo, tum rubro, occurrente tamen rationabili cauſa, poſſet Eccleſia præcipere, vt ſacerdotes vino tantùm albo vterentur. quo poſito,

ſito, ſi quis adhiberet rubrum, peccaret quidem, ſed conficeret tamen Sacramentum. Ita ergo dici poſſet, & vinum purum, & etiam miſtum eſſe poſſe materiam calicis, ſed Eccleſiam præcepiſſe, vt vino tantùm miſto vtamur: quod non eſt inſtituere materiam, ſed determinare eam quoad vſum. abundè autem ſatis oſtendit Chriſtus, vinum aqua miſtum, ſiue aquam ſimul cum vino eſſe materiam calicis, etiamſi non præceperit eam adhiberi, dum ipſe ſuper huiuſmodi aquam vino miſtam conſecrationis formam protulit, vt ſuprà ſect. 3. oſtendimus.

Ad ſextum, ex aqua, quæ farinæ commiſcetur, & non conuertitur in corpus Chriſti, niſi priùs in panem conuerſa fuerit, deductum, Reſpõdeo, adeſſe in hac ſimilitudine magnum diſcrimen: farinæ enim non miſcetur aqua à ſacerdote, neque ob aliquam ſignificationem, ſed tantùm, vt inde fiat panis; at verò vino miſcetur aqua à ſacerdote ex inſtitutione Chriſti ob ſignificationem ſacramentalem. Secundò, ad panem conficiendum neceſſaria eſt aqua, quare patet non per ſe requiri, ſed propter panem: vino autem non eſt neceſſaria, quare colligitur propter ſe apponi. Tertiò, aqua non eſt cibus, conſequenter non eſt apta vt conuertatur in corpus Chriſti, quod per modum cibi nobis proponitur, eſt verò potus; & ſanguis quoque, in quem dicimus eam verti, per modum

dum potus nobis exhibetur. Quartò, si remaneret in pane aqua in sua substantia, esset contra intentionem Ecclesiæ & sacerdotis, ac propterea non ordinantur verba consecrationis ad illam conuertendam; in vino verò non est contra intentionem sacerdotis, vel Ecclesiæ, quia posset non apponi vino, neque apponitur, vt conuertatur in vinum, quia, etiamsi constet conuerti non posse, vel propter modicúm temporis interuallum, vel ob aliam rationem, adhuc calici apponetur. Ad formam igitur argumenti, negamus minorem, ita scilicet, solum vinum esse proximè conuertibile in sanguinē Christi, sicuti solus panis in corpus: nam etiam aqua mista vino est proximè conuertibilis. Ad auctoritatem S. Cypriani iam suprà sect. 6. respōndimus, & rursus etiam hîc dicimus, similitudinem illam non esse sumendam in omnibus; alioquin sequeretur, vt, sicut sine aqua impossibile est confici panem, qui sit materia corporis Christi, ita non posse sine aqua vinum consecrari: id enim verba eius multò magis propriè demonstrare videntur. Sensus igitur S. Cypriani est, sicuti ex farina & aqua fit vnū tertium mistum, quod conuertitur in corpus Christi, ita ex aqua & vino fieri vnum tertium mistum accidentale, quod conuertitur in sanguinem. quare non inquit, aquam conuertendam in vinum, sed vino miscendam, neque com-

comparat ex vna parte aquam & panem cum aqua & vino ex altera, sed farinæ contraponit vinum, & aquam aquæ; oporteret autem ex sententia Aduersariorũ contraponi vinum pani, si ita vellet S. Cyprianus, vinum esse materiam calicis, sicuti panis est materia corporis.

Ad septimũ, quòd aqua sola consecrari posset, si esset ex æquo materia cum vino, Respondeo, non dicere nos ex æquo aquam esse materiam cum vino, sed vinum esse principalem & essentialẽ materiam, aquam verò minùs principalem, & accidentalem, ita vt ratio materiæ analogicè illi conueniat: nam conuenit primò vino, & ratione illius, aquæ quæ cum illo mista est. Hinc efficitur, vt vinum possit esse solum, tamquam substantia, quæ per se existit, aqua verò tamquam accidens non possit, sed tantùm simul cum vino. Cur autẽ ita se habeant, est primò voluntas Christi per Ecclesiam & traditiones nobis manifestata. Secundò, adest etiam conuenientia, vt, sicuti ens physicum habet perfectionẽ essentialem, sine qua non esset, & habet accidentalem, sine qua esset quidem, sed non perfectum; ita etiam hoc Sacramentũ habet essentialem materiam, quæ est vinum, & habet accidentalem, quæ est aqua, sine qua fieret quidem Sacramentum, sed non tam perfectum accidentaliter, vt doctè notauit Alexander Alensis, quia deesset illi aliqua significatio.

Dices,

Dices. Ergo etiam in pane idem deberet reperiri. Respondeo, aliquo pacto in pane quoque idem videri, quia perfectio eius accidentalis est, quòd sit in azymo & in tritico maximè puro, quamuis, quia hæc non tam claram habent significationem, nec tam certò ex Christi institutione pendent, non tam necessaria existimentur. Præterea Christus in huius Sacramenti institutione maximè attendit vsum hominum, pani autem nihil solet addi, quod fiat vnum cum ipso; vino verò solet addi aqua, tamquam additamentum quoddam accidentale. quare non mirum si circa vinum potiùs voluit hanc perfectionem accidentalem attendi. Dices, Accidentia non conuertuntur, ergo si aqua est accidens, neque debet conuerti. Respondeo, accidentia physica non conuerti, conuerti tamen accidentia logicalia, quæ entitatiuè sunt substantiæ; sicut cōuertitur etiam fermentum in corpus Christi, si sit in pane, quamuis non sit de eius essentia.

Ad octauum, in quo tamquam inconueniens inferebatur, posse consecrari mistum, in quo maior pars aquæ adesset, Respondeo, dummodò hoc mistum ex vino & aqua communi vsu appellari soleat vinum, absolutè & aqua mista saporem vini retineat, vt dicebat Innocentius à nobis suprà sect. 4. relatus, totum verti posse in sanguinem; quia totum sub vini nomine me-

meritò comprehenditur. Quocirca, quamuis legamus esse reprehensos, qui magnam aquæ quantitatem in calice ponebant, non tamen legimus declarata irrita illorum Sacramenta. Dico tamen longè satius esse, modicam aquam apponi, Primò ob varias significationes, de quibus suprà. Secundò, quia quo minùs est aqua vino apposita, eo veriùs & absolutiùs solet illud appellari vinum: nam si maior sit quantitas aquæ quàm vini, refugiunt sæpè homines illud appellare vinum, & dicunt potiùs esse aquam, sed vino permistam, quàm vinum aqua dilutum. Quanta verò debeat esse quantitas aquæ, quæ hanc denominationem tollat, non potest certò statui, vt contingere solet in his rebus moralibus, præcipuè cùm non parum pendeat ex varia conditione & natura vini.

Obijcies, Si aqua conuertitur in sanguinem, quia nomine vini etiam aqua comprehenditur, ergo apud homines, qui lingua vterentur, in qua sub nomine vini non posset intelligi aqua mista, iam tunc aqua non posset spectare ad materiam. quod est falsum, quia materiæ Sacramentorum debent esse certæ & impermutabiles. Respondeo, non ea tantùm ratione conuerti aquam in sanguinem, quia sub nomine vini comprehenditur, sed etiam, quia scimus à Christo fuisse vino admistam, & simul cum vino consecratam, & ob alias rationes suprà

ad-

adductas. præterea quoad illam rationem respondeo, etiamsi in aliqua lingua (quod non est tamen verisimile) hoc contingeret, non inde sequeretur, mutandam esse Eucharistiæ materiam, tum quia id non mutaretur in lingua Latina & Græca, quibus Ecclesia vtitur, tum etiam magis, quia debemus respicere consuetudinem loquendi, qua vtebatur Christus Dominus: ex qua accepta regula non debet per aliam linguæ consuetudinem immutari, sed potiùs quælibet alia lingua deberet illi accommodari. Adde, idem argumentum fieri posse de materia corporis Domini: nam ex vsu & communi modo loquendi solent Theologi determinare, qualis panis sit triticeus, & consequenter apta materia corporis Christi.

Ad nonum, in quo deducebatur ex nostra sententia posse aquam solam vini accidentibus affectam consecrari, Respondeo, negandam esse consequentiam: quia, vt aqua conuertatur in sanguinem, debet esse admista vino, & non accidentibus vini: & sicuti quando accidentia tantùm vini sunt in calice, non potest dici quòd ibi adsit vinum; ita neque quòd aqua mista accidentibus, vel totum illud mistum ex accidentibus vini & aquæ substantia, sit vinum.

Dices, At censeretur vinum moraliter, ergo posset conuerti. Respondeo, falsò censeretur,

siue physicè, siue moraliter. Neque verò huic falsitati medetur particula (*moraliter*) quia hęc non suffragatur neque innititur falsitati, sed veritati,& explicat,quomodo verè sunt intelligenda multa quæ communiter asseruntur. Alioqui si hoc argumentum concluderet, probaret etiam, quòd lapis, si esset sub accidentibus panis, posset conuerti in corpus Christi, quia eodem pacto censeretur moraliter panis, & id quod censetur moraliter panis, dicunt Theologi in corpus Christi conuerti.

Ad decimum,inferens ex sententia nostra posse consecrari mistum,licet non esset vinum, quod est alienum à sana doctrina, Respondeo, alienum planè hoc esse à sana doctrina,id est, à doctrina nostra,quia secundùm nos est impossibilis hic casus naturaliter, ob rationes in nostris disputation. philosophicis allatas, quibus probauimus, aquam corrumpi non posse à vino. Præterea etiamsi hoc contingeret, neque in ordine ad communem potum censeretur illud mistum vinum,quia & quando vinum corrumpitur, non appellatur simpliciter vinum, sed vinum corruptum, vel acetum, & hoc tertium in colore,& omnibus accidentibus quàm maximè à vero vino differret, consequenter non esset apta materia calicis: Auctores verò contrariæ sententiæ eo magis hac difficultate premuntur, quo faciliùs censent, aquam & vinum

vinum mutuò corrumpi posse. Nam fateri tenentur ex ipsis corruptis gigni tertium mistum, quod ex ipsorum principijs à vino lymphato in accidentibus non differret, cùm neque differat vinum, quod habet aquam in propria substantia admistam, ab eo quod iam in se eam transmutauit, & hoc mistum esset materia calicis, cùm plura Concilia mistum ex vino & aqua dicant esse materiam huius Sacramenti, vt sect. 3. & 4. retulimus.

Ad vndecimum, quòd etiam aqua rosacea admista vino verteretur in sanguinem; Respōdeo, Alanum lib. 1. de Eucharistia cap. 13. admittere consequentiam. *Immò est*, inquit, *hoc ipsum de totius liquoris conuersione tam receptum, vt, si aqua rosacea, vel quicumque alius exoticus succus in ea quantitate admisceretur, qua nunc aqua, non minùs conficeretur Sacramentum, quàm si nihil tale esset admistum.* Quod immeritò pro magno absurdo habet Suarez: nam si granum hordei mistum triticeo pani vertitur in corpus Christi; quid mirum si idem dicatur de aqua rosacea respectu vini? modicum enim quodammodo absumitur à plurimo, vt dicebat D. Thomas. Sed quidquid sit de hoc, neganda est consequentia, Primò, quia aqua rosacea non admisceretur ex institutione Christi, sicut aqua naturalis. Secundò, quia cum vino mista non facit vnum mistum, quod sit vinum vsuale:

numquam enim moris fuit miſcere aquam roſaceam vino. quamuis igitur aqua naturalis per ſe ſumpta non ſit magis materia, quàm aqua roſacea, tamen eſt apta ſimul cum vino efficere miſtum, quod eſt ſimpliciter vinum vſuale, quali vſus eſt Chriſtus, ad quod non eſt apta aqua roſacea.

Ad duodecimum, quòd etiam vino corrupto poſſet ſub aquæ ſpeciebus conſeruari ſanguis Chriſti, Reſpondeo, iam ſæpiùs dictum eſſe, aquam non eſſe per ſe materiam, ſed quatenus cum vino conficit vnum compoſitum, quod totum dicitur vinum. & idem dicendum de conſeruatione, dummodo ſpecies aquæ non ſint à vini ſpeciebus penitus ſeparatæ; quia tunc vt pars integrans conſiderari poſſent, ſicuti in reſponſione ad 14. dicemus. quando igitur ſunt ſimul cum ſpeciebus vini corruptis, & ipſę tamquam vinum corruptum ſe habent, & eius imitantur naturam, ſicuti cum vino integro, vini nomine inſignitur aqua, conſequenter ſi deſinat ſanguis Chriſti eſſe ſub vini ſpeciebus, deſinet etiam eſſe ſub accidentibus aquæ illis commiſtis.

Ad decimumtertium, in quo argumentabantur, fore totum ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus aquæ, ſi in hanc vini ſpeccies conuerteretur, Reſpondeo, aquam conuertere in ſe ſpecies vini ſequi poſſe ex ipſorum ſententia, non

ex

ex nostra: nam in nostra, cùm vinum & aqua mutuò se non corrumpant, nisi valdè per accidens. quod ipsi dicunt de conuersione vini in aquam, contingere ferè non potest; & si contingeret, desineret ibi adesse sanguis Christi, ob rationem in responsione ad superius argumentum allatam; at in ipsorum opinione id euenire facilè posset, si tempore consecrationis adesset vinum & aqua in propria substantia, & deinde aqua conuerteret in se vinum, siue eius species. quod iuxta ipsorum principia videtur facile contingere posse, absque eo quòd in accidentibus vllum signum appareat, quia nullo signo de nouo existente, volunt, posse, vinum in se aquam conuertere. Item conuersa aqua, remanere volunt accidentia eius, quibus afficitur vinum: ergo etiam conuerso vino, poterunt remanere accidentia vini, quibus afficiatur aqua, quare apparebunt species vini, & ibi non erit sanguis Christi, sed substantia aquæ. quod est contra omnem sensum Ecclesiæ.

Ad decimumquartum, quòd sanguis Christi conseruari posset sub aquæ speciebus etiam à vino separatis, Respondeo, & consequentiam negari posse, & consequentis absurditatem. Negatur consequentia, quia cùm, vt sæpè dictum est, eatenus aqua sit materia sanguinis Christi, quatenus vnum efficit cum vino; non

mirum, si ab hoc, siue ab eius speciebus separata, non ampliùs ipsum contineat. Obijcies, hoc esse contra Concilium Tridentinum, à quo dicitur sess. 13. can. 3. *Sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri*: species enim aquæ sunt partes specierum Sacramenti Eucharistiæ. Respondeo, dictum Concilij debere intelligi de parte specierum, quæ retineat omnia accidentia propria vini, nam si separaretur à reliquis accidentibus vnum, aut alterum accidens tantùm, v. g. color, vel sapor, non sub eo esset sanguis Christi, quãdo enim illæ species acescunt, non corrumpuntur omnia accidentia, sed fere tantùm sapor, & nihilominus desinit ibi esse sanguis Christi; quanto magis igitur non erit sub accidentibus aquæ separatis, in quibus nec sapor, nec color, nec vllum est accidens proprium vini? consulto enim dixit Concilium, sub qualibet parte, non sub quolibet accidente, non potest autem separari aqua, nisi etiam simul separentur accidentia. vel, quod in idem recidit, de parte integrante loquitur Concilium, non autem de componente; sicut enim quando mistum resoluitur in elementa, ex quibus componebatur, non debent elementa retinere formam misti, quando verò diuiditur idem mistum in partes integrantes, quælibet pars retinet formam totius: ita quando mistum ex vino & a-

qua

qua resoluitur in suas partes componentes, non est necesse, vt partes ipsius retineant formam misti, siue naturalem, siue supernaturalem, id est sanguinem Christi; est autem necesse; quando resoluitur in partes integrantes, quæ sunt partes & ipsæ permistæ ex aqua & vino. quòd si vini species etiam ab aqua separatæ, sanguinem Christi conseruant, est, quia vinum independenter ab aqua, & ab eius mistione est materia sanguinis. sicut igitur illa propositio, quælibet pars misti est mista, intelligitur de parte integrante, non de componente, ita etiam dictum Concilij, quòd quælibet pars specierum contineat sanguinem Christi, de parte integrante est intelligendum, non autem de componente, qualis est aqua. Confirmatur responsio exemplo panis: nam si panis consecratus resolueretur in farinam & aquam, vel naturaliter, vel saltem per potentiam diuinam, quis diceret, sub illa aqua vel farina esse corpus Christi? Nemo sanè; ergo idem dicendum de aqua respectu vini, quia, vt dicebat S. Cyprianus, aqua ad vinum in calice se habet, sicuti aqua ad farinam in pane. Cæterùm, si pro inconuenienti habent Aduersarij, quòd separatione aquæ à vino facta, non sit sanguis Christi sub accidentibus aquæ; quanto magis inconueniens existimandum erit, quod absque separatione detur aliqua pars specierum sacra-

 men-

mentalium, ſub qua non adſit idem ſanguis; hoc autem ex ipſorum ſententia ſequitur: nam aqua miſta vino eſt verè pars illius potus, & illius miſti, quod totum dicitur conſecrari à Patribus, & à Concilijs: & tamen affirmant illi, ſub eius accidentibus non eſſe ſanguinem Chriſti.

Negari quoque poteſt abſurditas conſequẽtis cum Ægidio Coninck, qui tamquam probabile affirmat in hoc caſu etiam ſub aquæ ſpeciebus permanſurum ſanguinem Chriſti, quamuis ſub ipſis poni primò non poſſit: plura enim requiruntur ad generationem, quàm ad conſeruationem, & affert inſtantiam de charactere, qui in anima ſeparata imprimi non poteſt, ſed ſemel impreſſus conſeruatur. Verùm huic inſtantiæ occurrere quis poſſet, dicens, characterem per ſe primò in anima imprimi, quamuis requiratur tamquam conditio, quòd ſit corpori vnita: at verò vinum non tantùm videtur conditio, vt aqua ſit materia ſanguinis, ſed etiam cauſa, & vino per ſe & primò conuenit, conuerti in ſanguinem, non verò aquæ.

Aptius exemplum fortaſſis eſſet idem Chriſti ſanguis ad vnionem hypoſtaticam relatus. Nam eatenus eſt aſſumptus, quatenus in Chriſti corpore erat, & tamen effuſus eamdem vnionem retinuit, vt docet S. Thomas quodlib.

lib.5. art. 5. & definitum fuiſſe à Clem.VI. refertur in Direct.Inquiſit.2. p.quæſt. 10. & pluribus probat Franc. Suarez tom. 2. in 3. part. diſp 47.ſect.3.

Vtrum autem horum ſit verius, ſcilicet, vel fore Chriſti ſanguinem ſub aquæ ſpeciebus in hoc euentu, vel non fore, pro certo affirmare non auſim: crediderim tamen ex hac altera quæſtione pendere, an ſcilicet aqua tamquam compars materiæ in ſanguinem tranſeat, vel ratione tantùm vini, cui eſt adiuncta. ſi enim illud prius dicatur, non defuturum ſub eius ſpeciebus ſanguinem probabilius cenſuerim; ſi verò hoc poſterius, contrarium affirmauerim. Cùm autem à Domino noſtro adhibita fuerit aqua, & ipſa quoque ſacramentali ſignificatione non ſit deſtituta, in illam priorem partem me propendere fateor.

Confirmatur, quia ſi gutta ſanguinis ſuper linteum cadat, ſpecies aquæ circumfundentur accidentibus vini: ſi ergo ſub aquæ ſpeciebus ſeorſum ſumptis conſeruari Chriſti ſanguis non poſſet, ſequeretur, ibi non adeſſe. quod non parum negotij nobis exhiberet, cùm non poſſet ſatis diſcerni, vbi deſinerent ſpecies vini, & inciperent aquæ; neque Eccleſia de hoc nos admonet, & totum illum liquorem pro vero Sacramento habere videtur.

Sed ſubtilis obiectio occurrit, videlicet, vel

aqua eſt pars materiæ integrans, vel componens; ſi integrans, ergo potuit conſecrari ſola, ſicuti & quælibet pars integralis panis; ſi componens, ergo non poterit ſub eius accidentibus conſeruari ſanguis Chriſti, ſicuti neque corpus ſub farina, ſi per diuinam potentiam à pane ſepararetur.

Reſpondeo, aquam & componentem & integrantem materiæ partem dici poſſe. Ratio eſt, quia miſtum ex aqua & vino, non eſt perfectè & ſubſtantialiter miſtum; quia ad hoc requiritur, vt miſcibilia corrumpantur: ſed eſt miſtum ad ſenſum; conſequenter & miſti appellationem ſubire poteſt, & non miſti, ſed per accidens aggregati; miſti ſcilicet quoad ſenſum, & aggregati quoad ſubſtantiam & veritatem. quatenus autem miſtum appellatur, eius pars componens erit aqua; quatenus verò aggregatum per accidens, eius pars integrans eadem dicetur. quod comprobatur, quia quælibet pars miſti debet eſſe miſta ex Ariſtotele 1. de Gener. tex. 86. at huius potus ex aqua & vino conflati, quælibet pars per ſe ſenſibilis eſt quidem miſta, at non quælibet pars ſimpliciter: quia, cùm in omnes ſuas partes non ſit aqua diuiſa (continuum enim non poteſt in omnem ſui partem diuidi) neceſſariò fatendum eſt, dari minimam aliquam partem aquæ, quæ nullo vino ſit admiſta, conſequenter ipſum totum

erit

erit mistum sensibiliter, sed non simpliciter & verè. sicuti etiam videre est in alijs similibus mistis, vt in farina, quæ ex hordeo & tritico fit confecta: in veste ex lino & lana contexta: in metallo, ex auro & argento conflato: in aceruo ex lapidibus & cæmentis aggesto. quæ omnia mista sunt ad sensum, non secundùm veritatem, cùm denuo in partes, suam naturam omninò retinentes, resolui possint.

Hinc ad argumentum dico, aquam in consecratione calicis se habere, vt partem componentem; & idcirco non posse consecrari solam. & ratio est, quoniam, vt sæpè diximus, in materiis Sacramentorum non attenduntur subtilitates physicæ, sed iudicium sensus, & hominum vsus. consecratur igitur calix, vt quoddam mistum ad sensum, & consequenter aqua, vt pars componens hoc mistum. At verò ad cognoscendum, an corpus, siue sanguis Christi adhuc sit præsens, non tam vtimur iudicio sensus, quàm rationis, nec hominum existimationem, sed ipsam rei naturã consideramus. Nam ad hoc, vt non censeatur adesse corpus Christi sub aliqua specie, non sufficit, vt illa species sensibus corrupta videatur, sed oportet, vt ita sit à parte rei, etsi in fragmenta tam minima hostia diuidatur, vt aciem oculorum fugiant; dum tamen sub ipsis possit conseruari substantia panis, verè sub illis erit corpus Christi, quamuis

pri-

primò non potuisset sub eis poni, consequenter aqua, quæ in consecratione, in qua attenditur iudicium sensus, se habet vt pars componens, in conseruatione Sacramenti, in qua respicitur ipsa rei veritas, se habet vt pars integrans; ac proinde, licet non possit sola esse materia consecrationis, poterit tamen esse conseruationis.

Sed quoniam diximus contrarium quoque esse probabile, qui parti neganti adhærere eliget, dicere poterit, aquam semper vt partem componentem considerandam esse, & quòd non per se, sed quatenus tantùm mista vino, est Sacramenti materia; & id quod dicitur de conseruatione Sacramenti ab integritate specierum dependente, in materia tantùm per se locum habere. sed hæc fortasse subtiliora nimis multis videbuntur.

Vtcumque igitur sit, retorquetur argumẽtum, quia volunt ipsi, posse à vino extrahi quemdam liquorem aqueum, qui nec vinum esse videtur, nec aqua, licet sit aquæ per omnia similis: si igitur ex calice consecrato extrahatur hic humor, vel sub eius speciebus aderit sanguis Christi, & dici poterit esse sub aquæ speciebus, cùm ab aqua quoad accidentia non videatur hic humor differre; vel non erit, & separatione facta, desinet esse sanguis Christi sub aliqua parte specierum contra

tra Concilij Tridentini decretum.

Ad decimumquintum, in quo inferebatur, posse sacerdotem consecrare aquam solam, si ad illam suam intentionem referat, Respondeo, nec posse sacerdotem habere hanc intentionem, quia aqua non est sensibiliter distincta à vino, vt suprà sect. 8. argumentabamur, neque si posset, effectum eius verba sortirentur. Et ratio est, quia aqua neque mista vino est per se materia calicis, sed tantùm quatenus pars componens illud mistum ex aqua & vino. est autem discrimen semper mente retinendum inter partem componentem, & integrantem, quòd hæc potest per se sola consecrari, non autem illa: alioqui sequeretur posse sacerdotē consecrare farinam tantùm in pane, vel materiam tantùm, siue formam substantialem in vino. quod absque errore dici non potest.

Obiicies, Si aqua est materia per accidens, non autem per se, scilicet quatenus tantùm admiscetur vino; ergo non magis, quàm quilibet alius liquor, qui vino admisceretur, dici potest materia sanguinis. Respondeo, dupliciter aliquid posse dici per accidens, Primò, vt per accidens cōtraponitur essentiæ; Secundò, vt non distinguitur à re, quæ est præter intentionem: aqua igitur est materia per accidens priori modo, non autem posteriori, quia est ex institutione Christi. quare potiùs dicerem, esse materiam

riam

riam accidentalem, quàm per accidens. Alius autem liquor, qui vino admisceretur, esset per accidens vtroque modo. quare non mirum si aqua dicitur materia, siue commateria sanguinis, non autem alius liquor.



APPEN-

NOVA AD DISPVTATIONEM PRÆCEDENTEM APPENDIX.

LECTORI S.



ATICES vt puros, aptos pellendæ siti gregi præberet Isaac, voluit præaltas scrobes & puteos fodi, quorum ex venis munus optatissimæ lymphæ saliens, ab æstu sedaret balantûm anhelitus. Non tamen ab Isaac hi recèns effossi putei, non primam ab eo accepere lacunam; sed oppletos inerti congerie lapidum, & emortui soli materie, denuò effossos & ignauâ expurgatos strue ad vitales ipse & pristinos reuocauit vsus, viuo & emicante reperto gurgite. Non ego dissimilis magno illi Patri gentium, quamquam in dissimili opere: aperuit ille obstructos puteos ingratâ obsitos humo, vt salubres

excauaret riuos. Opus ego de Trã-
ſubſtantiatione aquæ quod olim
effoderã, nonnullorũ ſubtilis, non
inficior, & accurata ſedulitas ſi
non oppleuerat ad os, multo cer-
tè limo contentionum turbarat.
ligonem propterea huius Appen-
dicis denuò admoui, vt effoſſo di-
ligenter opere, non ſolùm primo-
ribus labijs commendetur aquæ
noſtræ explorata veritas, ſed aui-
diſſimo probata palato bonitatem
vbique ſuam teſtetur & prædicet.
Hanc lector humaniſſime ad ſa-
tietatem deguſta, & hauri.

A P-

APPENDIX

Ad diſputationem de Aquę tranſmutatione in ſacrificio Miſſæ.

CAPVT I. ad SECT. III.

Quibuſnam principijs, philoſophicis ne, an theologicis, ſententia noſtra innitatur.



SENTENTIAM noſtram recentiores nonnulli referentes, eius fundamentum dicunt eſſe principium illud phyſicum, quòd aqua naturæ viribus in vinū numquam verti queat, totumque theologicum noſtrum ædificium ſuper hoc fundamēto conſtrui: ex hoc enim clarè deducitur aquam vel immediatè in ſanguinnem verti, quod nos volumus; vel ſimul cum ſanguine miſtam permanere, quod apud nos abſurdum haberi autumant, eò quòd fideli populo idololatriæ cauſa exinde præberetur. Quo in dicto tripliciter de noſtra ſententia malè merentur. Primò, quòd phyſicum fundamentum falsò ei ſubiiciunt; Secundò, quòd vera & ſolida eius fundamenta prætereunt; Tertiò, quòd hoc ipſum ab eis relatum, non probè ac perfectè explicant. ſingula probemus.

Quo

Quo ad primum, eſt quidem principium illud philoſophicum veriſſimum, noſtræque ſententiæ mirum in modum opitulatur, at non eſt eius fundamentum: ſine fundamento enim non poteſt ædificium ſtabile conſtrui: at ſine hoc etiam principio noſtra theologica ſententia optimè ſe habet, & inconcuſſa permanet; complures enim illud principium non admittunt, qui tamen noſtræ ſententiæ adhærent, & inter alios Card. Alanus ab ipſis-met recentioribus allatus, à quo non videtur diſſentire Card. Toletus, cùm dicat aquam ſiue verſam in vinum, ſiue non, ſemper eſſe materiam calicis, & alij multi.

Dices, At vos, qui principium illud pro compertiſſimo habetis, cur pro fundamento veſtræ ſententiæ ipſum agnoſcere dedignamini?

Reſp. Quoniam etſi veriſſimum re vera eſt, non tamen ab omnibus recipitur, & eis quoque qui illud inficiantur, noſtram ſententiam probari percupimus. Præterea, quia aliud pro fundamento habemus ex Philoſophia, quod à nemine in dubium vertitur, & ab ipſis etiam Aduerſariis admittitur. Tertiò, quoniam abſque vllo fidei detrimento philoſophicum illud principium negari poteſt. Nos autem ex fidei principiis malumus deduci ſententiã noſtram.

Quænam igitur ſunt noſtræ ſententiæ vera fundamenta? quod erat ſecundo loco proban-

bandum. Ex parte quidem Philosophiæ, quòd aliquando saltem, aquam in vinum non conuersam consecrationis tempore in calice adesse necessariò fatendum est: licet enim demus vinum posse aquam in sui substantiam vertere, adhuc tamen vel ex vini debilitate & exiguitate, vel parua temporis inter aquæ infusionẽ & consecrationem intercapedine, eamdem nondum eo tempore in vinum transmutatam interdum saltem fateri oportet, vt sect. 3. nostræ disputationis probauimus, & nostri Aduersarij admittunt.

Dices, Atqui in scopulum adhuc, quem vitatis, incidistis, scilicet in physicũ fundamentum.

Resp. hoc adeò esse euidens & certum, vt meritò theologica sententia super ipso construi possit: ex altera enim philosophica propositione euidenti, & ex altera de fide, conclusio sequitur, vel de fide, vel theologica, & extra aleam dubitationis posita. Asserere quoque possumus, hoc principium philosophicum non tam esse fundamentũ nostræ sententiæ, quàm suppositum: posito enim quòd aqua remaneat, quærimus quid de ea fiat. quòd si hoc suppositum non detur, non quidem falsitatis arguetur sententia nostra, sed locus ei non dabitur, omnisque controuersiæ, & disputandi aditus obstruetur. Ad veriora igitur & theologica fundamenta transeamus, quæ plurima

S qui-

quidem ſunt, vt ex noſtra diſputatione liquet, ſed vnum tantùm ego ex præcipuis eligam. Eſt autem hoc, verba Sacramentorũ quotieſcumque ſuper materiam ab Eccleſia præſcriptam proferuntur, id efficiunt quod ſignificant: ſed ex Eccleſiæ præcepto ſuper aquam in vinum non conuerſam, illi tamen mixtam, proferuntur, & vtrumque, id eſt, vinum & aquam, ſignificant eſſe ſanguinem: ergo non ſolum vinum, ſed etiam aquam, in ſanguinem vertunt. Maior huius argumenti eſt certiſſima; eſt enim certiſſimum effatum apud Theologos, formas Sacramentorum nouæ legis id efficere quod ſignificant, cùm Sacramenta veteris legis ſignificarent tantùm, & non efficerent. Addidimus autem nos, quotieſcumque ſuper materiam ab Eccleſia præſcriptam proferuntur: quia ſi ſuper aliam materiam, clarum eſt nihil efficere; non enim verba calicis ſuper oleum prolata ipſum in ſanguinem verterent, ſed in quamcumque ab Eccleſia præſcriptam hanc vim effectiuam habent. non quòd Eccleſia nouas poſſit Sacramentorum materias inſtituere, ſed quia in præſcribenda materia non poteſt errare; &, cùm ſacrilegum ſit formam Sacramenti ſuper ineptam materiam proferre, id præcipi ab Eccleſia, impium eſſet aſſerere. Maior igitur huius noſtri argumenti certiſſima eſt, & ab ea Aduerſariorum euaſio præcluditur, qua ad infrin-

fringendam huius argumenti vim vtuntur, dicentes verba conſecrationis ſuper olei quoque guttam vino admiſtam prolata, ipſam in ſanguinem non vertere. præcluditur inquã: nam olei gutta non eſt ibi ex Eccleſiæ præcepto, ſicuti gutta aquæ.

Minor etiam noſtri ſyllogiſmi in certitudine non eſt minor. Nam ex Eccleſiæ præſcripto poſt aquæ in calice infuſionem, ſtatim aliquãdo conſecrationis verba proferuntur, cùm ſcilicet ſacerdos ipſam apponere ante offertoriũ oblitus fuit: tunc autem clarum eſt, & in confeſſo apud omnes, proferri verba conſecrationis ſuper vinum & aquam nondum in vinum cõuerſam. Neque verò dicas ſuper vinum tantùm proferri, tum quia materia debet eſſe determinata & diſtincta, vinum autem non eſt ibi ab aqua diſtinctum; tum quia aqua ſub calicis nomine intelligitur, ſumitur enim continens pro toto contento: cumque de contraria intentione non admoneatur ſacerdos, vtique debet eam cõformare verbis à ſe iuxta S.R.E. ritum prolatis. cùm igitur per verba conſecrationis totum quod eſt in calice, ex Eccleſiæ præſcripto ſignificetur eſſe ſanguis, ibique Eccleſia iubente adſit aqua, & ipſam in ſanguinem verti, meritò ambigere nemo poteſt. Mitto alias rationes & auctoritates pro noſtra ſententia, quas in noſtra diſputatione proſecuti

sumus, & in sequentibus etiam capitibus attingemus.

Denique illud ipsum fundamentum, quod nostræ sentẽtiæ Aduersarij ascribunt, non probè explicant. dicunt enim, quia alioqui occasio idololatriæ populo Christiano præberetur: at cur non dicunt totũ quod est in calice, post cõsecrationem ab Ecclesia pro Christi sanguine haberi, vt nos sect. 4. & sect. 8. ex auctoritate præcipuè Concilij Trident. probauimus? cur etiam D. Thomæ auctoritatem non afferunt, qui 3. p. q. 78. art. 8. asserit aquam non posse in calice consecrato permanere, alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ? verba eius sunt: *Quidam dicunt, quòd aqua adiuncta vino per se manet, vino conuerso in sanguinem. sed hæc opinio stare non potest, quia in Sacramento altaris nihil est nisi corpus & sanguis Christi: sicuti enim Ambros. dicit, ante benedictionem illa species nominatur, post benedictionem corpus significatur, alioqui non totum adoraretur adoratione latria.* Est igitur hoc argumentum non nostrum, sed S. Thom. cuius auctoritatem ab eo numquam nos seiungimus, sed Aduersarij ipsam vbique supprimunt, vel dissimulant: adeò enim clarè nostræ sententiæ patrocinatur, vt eam Aduersarij eludere posse, vt multas SS. PP., desperarint, & apertè eamdem refutare non ausi sint.

CAP.

CAP. II. ad eamdem SECT. III.

De physico contrariæ sententiæ fundamento.

A Vino propriis naturæ suæ viribus posse aquam in se ipsum verti tamquam certum Aduersarij supponunt. An, hoc autem eorum sententiæ fundamentum appellari debeat, adhuc animi pendeo. Ratio est, quoniã ad veri fundamenti rationem duo requiruntur, alterum, vt ita dicam, positiuum, alterum negatiuum. Positiuum est, vt fulciat & sustineat, superq́ue eo tamquam in propria sede ædificiũ collocetur secureq́ue consistat. Negatiuum, vt eo ablato, domus tota consistere nequeat, sed concidat. Quare illud propriissimè erit alicuius sententiæ fundamentum, quo posito & ipsa ponitur, & ablato ipsa quoque aufertur. Porrò erga Aduersariorum sententiam dogma illud philosophicum, altero tantùm ex his muneribus fungitur. Non enim eo posito & ipsa ponitur. Nam, vt vidimus cap. præcedenti, multi qui illud principium admittunt, hanc sententiam non complectuntur. Eo tamen ablato, & ipsa corruit. quod cùm sit maximè notandum, erit à nobis hîc perspicuè declarandum, & firmiter constituendum.

In primis igitur non diffitentur Aduersarij,

PP.omnes in ea ſententia eſſe, vt aqua in ſanguinem conuertatur:hoc enim clariſſimis verbis aſſerunt, vt patet ex noſtra ſect.5. Idem etiam affirmat Innocentius, idem S. Thomas, & reliqui omnes antiqui Scholaſtici:Eccleſiam quoque ea intentione aquam admittere, vt in ſanguinem vertatur, iidem aſſerunt, atque vt Card.Baron. teſtatur, aquam ſimul cum vino in ſanguinem tranſubſtantiari, ſemper Eccleſia Romana credidit,& cuſtodiuit. Cùm igitur certum ſit aquam in ſanguinem tranſmutari debere,ſi dogma illud philoſophicum, quòd aqua in vinum vertitur, neges; aquam non mediatè, vt Aduerſarij volunt, ſed immediatè, vt nos exiſtimamus, in ſanguinem verti planè cõſequetur. Non poteſt igitur eorum ſententia abſque illo philoſophico dogmate conſiſtere.

Confirmatur, quia eo ablato, ſi palinodiam canere nolint, oportet eos aſſerere, aquam numquam in ſanguinem verti:quia neque immediatè,hoc enim non admittunt; neque mediatè,quia in vinum non tranſmutatur. At opinio illa,quòd aqua in propria ſubſtantia ſimul cum ſanguine maneat,tamquam improbabilis ab Innocentio relicta fuit; à S.Thoma deinde reiecta, & à ſequentibus Theologis temeritatis notâ inuſta; eſtque apertè contra Eccleſiæ ſenſum,& contra omnes Doctores.ergo,ne in has abſurditates incidant,oportet Aduerſarios

mor-

mordicus dogma illud philosophicum de aquæ in vinum conuersione retinere,& eo ablato necesse est totum illorum ædificiũ corruere.

Præterea cùm à Christo Domino nostro aquam calici consecrando immissam fuisse constet, nisi dicatur ante consecrationis verba in vinum fuisse naturaliter transmutatam; oportebit vel sine vllo fundamento miracula confingere, vel asserere, & ipsam secundùm suam substantiam formæ consecrationis fuisse subiectam, & immediatè in sanguinem commutatam. quo nihil potest dici ad nostram sententiam confirmandam accommodatius, vel validius.

Patet igitur, eo dogmate de aquæ in vinum conuersione posito, nihil quidem contra nostram sententiam consequi (quoniam adhuc ob varias circumstantias poterit aqua non in vinum verti) sed eo ablato totam Aduersariorum sententiam corruere, propeque in nihilum redigi.

Hinc autem nonnulla consectaria valdè notatu digna deduco. Primum est, quàm falsò & inaniter auctores contra quos disputamus, vt simpliciores terreant, classicum contra nos canant, fidemq; Catholicam, Patres, Concilia, Scholasticos Theologos, vniuersumq; orbem contra nos aduocent. Numquid enim aquam in vinum naturaliter verti Catholica fides do-

cet? Numquid ad hoc philosophicum dogma confirmandum ex omnibus terræ partibus ad sacros conuentus Episcopi conuocati fuerunt? Numquid Patres in vini viribus perscrutandis adeò diligentes extiterunt, vt omnes vnâ voce tamquā certissimum posse aquam ab eo vinci, & in se ipsum verti affirmarint? Numquid Ecclesia Catholica, vt à suis fidelibus aquam in vinum verti crederetur, adeò fuit sollicita, vt propterea Concilia congregaret, sanctionesq; plurimas, & firmissima decreta promulgaret? Quis non videat, quàm inaniter hæc dicantur? Cùm igitur absque vllo fidei periculo dogma illud philosophicum de aquæ in vinum conuersione negari possit, eoque negato tota Aduersariorum sententia corruat; planè consequitur, non magis, quàm sit illud philosophicum placitum, esse eam certam. Conclusio enim, vt aiunt Dialectici, deteriorem partem sequitur: at eorum sententia ex duabus propositionibus emanat, quarum altera quidem est certissima de fide, nimirum transubstantiari vinum in sanguinem Christi, altera tantùm est physica, & incerta, scilicet aquam in vinum verti: ergo eorum conclusio, quòd scilicet aqua mediatè vertatur in sanguinem, certitudinem physicæ propositionis non excedit: nihil ergo cum fide est ei commune, frustraque Aduersarij de PP. auctoritate, & Conciliorum sanctionibus

nibus ſibi blandiuntur, cùm nec illis, nec alijs vmquam in mentem venerit aliquod philoſophicum dogma, quod præcipuè experientijs, rationibus, & auctoritatibus præcipuorũ Philoſophorum impugnatur, velle definire.

Secundum conſectarium eſt, optimè cum noſtra ſententia cohærere, eique fauere Philoſophiam: vel enim pro ea pugnat, vel ei non repugnat. Nam ſi verum eſt aquam non poſſe à vino tranſmutari; tunc Philoſophia pro nobis fortiſſimè dimicat: ſi autem eſt falſum, neque nobis Philoſophia repugnat, è contra verò ex his duobus Philoſophorum placitis, alterum Aduerſariorum ſententiam iugulat, alterum verò non ſatis eam defendit. In Philoſophia igitur eſt longè probabilior noſtra ſententia, quàm Aduerſariorum: non ſolùm quia cum veriori ſententia philoſophica meliùs cohæret, ſed etiam quia nulla ei philoſophica opinio refragatur; cùm Aduerſariorum opinio vt minimum dubia ſit in Philoſophia & anceps, eò quòd probabiliſſima Philoſophorum ſententia ei aduerſetur.

Hinc tertium conſectarium colligo, abſolutè & ſimpliciter præferendam eſſe noſtram ſententiam. Primùm, quoniam Aduerſariorum opinio duplici victoria indiget, ne cauſâ cadat, altera ſecundùm Philoſophiam, ſecundùm Theologiam altera. Nam licet vrgentiſſimę ratio-

tiones theologicæ pro ea pugnarent, si philosophicum fundamentum corruat, etiam ipsam labi, vt suprà ostendimus, necesse est; & quamuis hoc firmum permaneat, si rationibus theologicis destituatur, adhuc eam corruere oportebit. Nostra è contra, si vel in Philosophia, vel in Theologia victoriam obtineat, superior euadit. Cùm enim ea sententia, quæ affirmabat aquam in sua substantia semper sanguini admixtam remanere, tamquam improbabilis & temeraria à Theologis sit reiecta; si aquam in vinum conuerti non posse Philosophia conuincat, aquam immediatè in sanguinem conuerti, vt nostra opinio fert, necessariò fatendum erit. Et quamuis Philosophia hoc non obtineat, si theologicis rationibus aquam in sanguinem immediatè verti posse ostenderimus; hoc etiam nobis ad victoriã satis erit. Duplicem igitur victoriã, ne succumbant, Aduersarios obtinere oportet, nobis vel alterutra sufficit.

Deniq; inter theologicas sententias illa meritò est præferenda, quæ Philosophorũ iaculis, vel, si malueris, etiã criminationibus minùs patet: huiusmodi autem est, quę minùs à Philosophia depẽdet, & cum vnoquoq; Philosophorũ placito rectè cohæret. Nam si sacrosancta mysteria nostræ fidei ab incerto Philosophorum principio pendere fateamur, quomodo non deridenda illis Philosophis, qui illud principium

pium non admittunt, ea exponemus?

Tale autem est id, quod Aduersarij comminiscuntur: si enim aqua vertitur in vinum, quod ad Philosophiam spectat, totum liquorem, qui in calice post consecrationem reperitur, sanguinem Christi esse affirmant; si non vertitur, nequaquam, sed solum partem. Ex Philosophorum igitur placitis sanguinis Christi præsentia pendebit; Philosophi ergo aduocandi erunt, vt iudicent an totus liquor in calice existens pro sanguine sit habendus? à Philosophis Theologi discent, an totus ille liquor adoratione latriæ venerandus sit?

Quis non videat quàm sint hæc absurda, quantoque melius, & fidei Catholicæ sinceritati, & theologicæ grauitati, & sanctorum Sacramẽtorum maiestati congruentius sit, independenter à Philosophia, & quidquid sit, an aqua versa sit in vinum, absolutè totum illum liquorem, qui in calice post consecrationem reperitur, pro sanguine Christi habendum, & venerandum, vt optimè S. Thomas asserebat, affirmare?

CAP. III. ad eamdem SECT. III.

Ab argumento ex Christi institutione frustra Aduersarios se tueri.

TRIA puncta complectebatur hoc argumentum. Primum erat, aquam à Domino no-

nostro calici consecrando fuisse appositam. Secundum, ante verba consecrationis saltem, ob temporis paruam moram, non fuisse in vinum conuersam. Tertium, per verba consecrationis in sanguinem fuisse transubstantiatam. In secundo autem obicem nobis opponunt quidam recentiores his verbis, *A posteriori, firmissimo scilicet innixi sacrorum Conciliorum fundamēto, illud temporis spatium & interuallum inter aquæ appositionem, & consecrationem Christi agnoscimus & docemus, quòd conuersioni aquæ in vinum necessarium fuisse naturaliter videamus.* Quomodo autem hoc temporis interuallum ex Cōciliis colligitur, non docent, cùm reuera nullum verbum de eo in Conciliis habeatur: fortassis inde argumētantur, quòd Concilia modicum aquę vino admisceri præcipiunt, ob hanc, inquiunt ipsi, potissimùm rationem, scilicet necessarij transitus in vinum. Verùm hanc rationem ab eis confictam fuisse sect. 4. nos iam demonstrauimus, & de ead. cap. 5. agemus: sed quamuis eam concederemus, longissima tamen & violenta consecutione opus esset, vt ex ea illud interuallum quod ipsi optant deduceretur: & hoc etiam ex summa indulgentia dato, cùm moraliter tantùm iudicent illud interuallum sufficiens fuisse ad aquæ conuersionem; poterit sub hoc iudicio eorum morali subesse falsum; ac proinde falsa erit eorum sententia, & non

non adeò firma & certa, vt ipsi affirmant.

Verùm quoniam nos ad Concilia prouocarunt, ex iisdem Concilijs, iuxta expositionem ab ipsis quoque allatam, ostendemus nos, aquam minimè fuisse in vinum conuersam, cùm Christus Dominus verba cõsecrationis protulit. Nam & Concilium Florentinum in decreto Eugenij, & Carthaginense, & alia simul cum omnibus Patribus docent, in vino aqua mixto hoc Sacramentum fuisse à Christo Domino institutum.

At quando dici debeat vinum aquæ mixtum ipsi Aduersarij interpretentur. Cap. igitur 18. eiusdem opusculi, Aristotelis auctoritate pressi, qui negat aliquid misceri cum eo in quod conuertitur (sicuti, inquit ille, non dicuntur ligna commisceri igni, nec nutrimentum nutrito) confugiunt ad quamdã distinctionem, & affirmant, aquam dici vino admistam, non quatenus in ipsum conuertitur, sed quatenus antequam conuertatur per eius partes diffunditur, & ita esse intelligendos Patres & Doctores. verba eorum sunt, *Verum est quod docet Aristoteles, nimirum id quod alteri miscetur, in ipsum non dicitur conuerti; tamen cùm dicimus aquam cum vino misceri, significamus aquam tantùm copulari, & diffundi per vinum: quod fit ante conuersionẽ. & ita bene dicunt omnes SS. PP. & Doctores aquam commisceri vino, quia priusquam conuertatur*

tur diffunditur, & diuiditur per vinum. Hæc illi. ex quibus colligitur ante conuersionem aquæ in vinum posse quidem hoc dici mixtum, non verò post conuersionem. Cùm ergo Concilia & omnes SS. PP. affirment institutam fuisse sacrosanctam Eucharistiam in vino aqua mixto; idem est ac si assererent fuisse vinum consecratum antequam aqua in ipsum versa esset. quod erat nobis probandum. Et reuera verisimile non videtur, nec Euangelistas, nec Concilia, nec Patres huius morę vllam mentionem fecisse, si adeò necessaria esset & tanti ponderis, vt Aduersarij volunt.

Sed quamuis sit valdè improbabilis hæc Aduersariorum responsio, improbabilior tamē est, quæ sequitur, aliorum quorumdam recentiorum. occurrunt hi tertio puncto, & inquiunt, *verba quibus in consecratione calicis vsus est Christus Dominus, non necessariò verificanda de toto quod continebatur in calice, sed tantùm de materia conuertibili, qualis non est aqua.* Neque solùm id de verbis consecrationis calicis affirmant, sed etiam de consecratione corporis Domini dicunt, *verosimile esse in eo pane, sub cuius speciebus tradebat Dominus discipulis corpus suum comedendum, fuisse etiam & accidentia, & substantiam aliorum seminum inconuertibilem in corpus Christi*: quam proinde simul cum corpore remansisse sub speciebus panis autumant.

Sed

Sed hæc vt noua, vt rationi minimè conformia, vt ab Ecclesiæ sensu aliena, vt Concilij Tridentini decretis repugnantia, vt hæreticis plausibilia, sunt omnino reijcienda. Noua sunt: nam quis vmquam audiuit non totum panem, quem Christus Dominus in manibus habebat, in suum corpus transmutasse? quis illum panem non fuisse perfectè triticeum? quis materiam, super quam Saluator noster verba consecrationis protulit, in suum corpus non fuisse conuertibilem? Rationi quoque consentanea non sunt: nam quis nesciat respectu diuinæ omnipotentiæ nihil non esse in quodlibet aliud conuertibile? quis non fateatur, ita potuisse Dominum nostrum panem hordeaceum in suum corpus vertere, sicuti triticeum? Et vndenam colligimus nos panem triticeum in corpus suum vertisse, & non hordeaceum, nisi quia super illum verba consecrationis protulit, & non super hunc? Præterea, si verba illa, *Hoc est corpus meum*, in propria significatione accepta totum panem, quem in manibus Christus Dominus gestabat, significant, quomodo audent hi alium sensum ex illis extorquere? Sunt hæc etiam ab Ecclesiæ sensu aliena. nam hæc, vt testatur S.Thom. suprà relatus, post consecrationem nihil prioris substantiæ sub speciebus panis, nihil sub speciebus vini existimat latere; alioqui non totum adoraret adoratione

latriæ,

erat conuertibile: ita dicent illi, vel panis materiam, vel totam etiam panis ſubſtantiam non fuiſſe in Chriſti corpus conuertibilem; & ſi verbis Chriſti, qui dixit illud quod in manibus habebat eſſe ſuum corpus, premantur, non eſſe intelligenda de toto quod manibus geſtabat, ſicuti & auctores contra quos diſputamus aſſerunt, reſpondebunt.

Adde, quòd idem hic auctor graui notâ dignos cenſet Theologos, qui ſubſtantię exiſtentiam dicunt ſimul cum accidentibus panis remanere: quid ergo de affirmantibus ſubſtantiæ partem non recedere, dicendum erit? *Baſil. Ponce §. 17. pag. 13.*

Dices: Ergo cùm veroſimile ſit aliquod granum alterius ſpeciei fuiſſe ſimul cum pane triticeo à Chriſto Domino conſecrato, idem de eo dicendum erit ac de aqua vino mixta. Reſp. nullo pacto eſſe veroſimile, quod de grano alterius ſpeciei dicitur; caret enim fundamento, & eſt contra ſenſum omnium Doctorum, quibus huiuſmodi commiſtio numquam in mentem venit. Cumque Hebræi in ſuis ritibus & cærimonijs obſeruandis diligentiſſimi ſemper fuerint, credibile eſt tritico maximè perpurgato ad azymos panes conficiendos ipſos vſos fuiſſe. ſed eſto aliquod granum alterius ſpeciei ſimul cum tritico affuerit, dicendum erit, totum illum panem conſecratum fuiſſe, quia moraliter totus erat triticeus,

vt cum D. Thoma sect. 7. diximus. Neque verò par adhuc ratio erit de hordeo & aquâ, quia illud non affuisse simul cum tritico longè probabilius est; hanc mixtam vino certò scimus. Deinde illud si afficit, certè præter intentionem, & per accidens afficit: hæc autem datâ operâ, & ob mysterium admixta fuit.

CAPVT IV. ad SECT. IV.

De Concilij Florentini testimonio pro nobis allato.

NON minùs celebre quàm clarum & firmum est Concilij Florentini in Eugenij decreto pro nostra sententia testimonium: inquit enim, *calicis materiam esse vinum de vite, cui modicißima aqua admisceri debet*. De quo sect. 4. nostræ disputationis plurima diximus. nunc nonnullæ aliæ obiectiones, quas Neoterici, vt huius Concilij auctoritatem è nostris manibus extorqueant, adiiciunt, dissoluendæ erunt.

Petron. cap. 4. pag. 14. Primò ergo obijciunt: *Non dicit Concilium, vinum esse partem materiæ, sed materiam, ergo contra mentem Concilij est asserere aquam esse aliquo modo materiam, seu partem materiæ confectionis sanguinis. Confirmatur, quia eo ipso, quòd dicit, Cui* (scilicet vino) *ante consecrationem aqua modicißima admisceri debet, manifestè declarat, aquam esse*

esse extra materiam consecrationis calicis. Respondeo, verbum (*materiam*) referri non solùm ad vinum, sed etiam ad aquam ei admixtam, quia vnico contextu inquit Concilium, materiam calicis esse vinum, cui aqua misceri debet. Præterea etiamsi concederemus materiam referri ad solum vinum, nobis non officeret, quia diceretur vinum materia calicis, quia est materia per se, & quod solum ad conficiendum sanguinem sufficit. Aqua autem dici non debuit pars materiæ. Primò, quia non est de necessitate Sacramenti; Secundò, quia non est per se materia sanguinis; Tertiò, quia non est materia diuersa à vino, sed quatenus vino incorporatur, & fit vinum moraliter. Ad confirmationem respondeo, eo modo loquendi declarari tantùm aquam esse extra materiam antequam admisceatur vino, non verò postquam est ei admista. sicuti si dicerem, Hodie meus commensalis erit Petrus, cui adiungi debebit Paulus; nemo inde colliget excludi à mea mensa Paulum, sed è contrario & ipsum affore, non tamen vt principalem, sed vt Petri comitem.

Secundò obijcitur, *Si assignetur materia baptismi vt in Ecclesia exercetur, dicendo, materia Sacramenti baptismatis est aqua naturalis, cui sacrum oleum est infundendum & admiscendum; certè nullus dicere posset sacrum oleum esse materiam baptismatis: ergo quando Concilium dicit, vino,*

quod statuit materiam Sacramenti sanguinis Christi, aquam misceri, non potest intelligi aquam esse aliquo modo materiam, aut partem materiæ consecrationis calicis: nam id quod miscetur materiæ non est materia, sed aliquid extraneum à materia.

Respondeo, si materia baptismatis modo suprà relato ab aliquo Concilio describeretur, alijs circumstantijs cōcurrentibus prout in casu nostro, rectè ex ea descriptione possèt inferri oleum spectare ad baptismi materiam: at neque Concilium illud asseruit, neque aliæ circumstantiæ adsunt, quia neque Christus oleum aquæ admiscuit, nec dici potest Sacramentum baptismatis in aqua oleo mixta institutum fuisse. neque sub aquæ nomine solet oleum comprehendi. denique in confesso est apud omnes, oleum cærimoniæ tantùm causa adhiberi simul cum aqua baptismatis, quod de aqua respectu materiæ calicis dici nequit. atque hinc nostra expositio verborum Concilij Florent. magis corroboratur. Cur enim agens de baptismatis materia dixit esse aquam tantùm, nulla mentione facta de oleo admiscédo; agens verò de materia calicis esse vinum, cui aqua admisceri debet, si vtrobiq; quod admiscetur cærimoniæ tantùm causâ apponitur? liquidò certè constat non fuisse Concilij mentē cærimonias Sacramentorū explicare, sed puras & simplices eorum materias & formas, vt aliàs diximus.

Ter-

Tertiò obijciunt, *Si voluisset sacrum Concilium mixtionem aquæ esse de essentia Sacramenti sanguinis, dixisset vtique vinum mixtum aqua esse materiam.* Respondeo, non omnino malè hîc ratiocinari Aduersarios, sed extra rem, optimeq; concludere, sed non contra nos aquam non esse de essentia sanguinis, aliàs sine ipsa non posset confici. quod à sana doctrina, & à nostra sententia est perquam alienum. Ne igitur crederemus aquam esse de essentia Sacramenti, non dixit Concilium vinum mixtum aqua esse materiam: & vt sciremus nihilominus aquam ad materiam spectare, dixit vinum esse materiam, sed cui admisceri debet aqua: nec commodiùs poterat paucis verbis explicare modum, quo sanguinis materiam aqua ingreditur. Cæterùm, etsi illis verbis vsus non fuit Eugenius in Concilio Florent. non desunt tamen alia Concilia, & Patres, qui vel illis, vel simillimis & æquipollentibus vtuntur, vt ex dicendis patebit, & Rom. Catechismus etiam, vt vidimus sect. 4. eumdem ferè loquendi modum vsurpat, nec propterea tamen volunt aquam esse de essentia Sacramenti, sed tantùm commateriam. Pag. 15.

Quartò obijciunt, *Ex Concilio Florentino substantia tantùm vini in sanguinem conuertitur, at aquæ substantia non est substantia vini, ergo.* Respondeo ex Concil. Florent. & vinum, & aquā Pag. 16.

verti in ſanguinem Chriſti, cùm vtraque ſub nomine materiæ comprehendat. Adde, nomine vini intelligendam quoque aquam adiunctam, vt ſect. 11. demonſtrauimus.

§. 19. pag. 15. Quintò, obijciunt alij, *non dixiſſe Eugenium vinum eſſe materiam cui tamen, &c. ſed (cui) abſolutè, indicans aquam non pertinere ad materiam.* Reſpondeo, Eugenium non appoſuiſſe particulam *tamen*, ne crederemus ſine aqua vinum eſſe non poſſe materiam ſanguinis: quod falſum eſt. vt omittam tam parum revera quo ad ſenſum referre, quòd adſit illa particula *tamen*, vt mirum eſſet in hoc Aduerſarios vim facere niſi melioribus rationibus deſtituerentur. Non diſſimile eſt, quod ſubiiciunt: *Rationem enim,* inquiunt, *reddens Eugenius, cur modiciſſima aqua ſit vino miſcenda, vbi locus erat explicandi illam eſſe vnà cum vino materiam, nequaquam eam rationem reddidit.* Imò hanc ipſam attulit, ſubijcio ego: dixit enim aquam apponi, quoniam in vino aqua mixto creditur Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituiſſe. quod idem fuit ac dicere, pro materia vinum & aquam habuiſſe, nec materiæ nomen erat ei ampliùs vſurpandum, quia dixerat iam, & ipſam aquam ad materiam ſpectare. Meliori ergo iure argumentum retorquebimus nos, quoniam hic erat locus afferendi pro ratione modicitatis aquæ apponendæ, vt in vinũ verti poſſit, ſi Cõcilium

cam

eam approbasset; atqui nec leuissimè indicauit: sciebat enim eam non esse veram rationem, sed quæ ex mysterijs & causis quibus ea miscetur, colliguntur: sicut enim admiscetur aqua, quia Christus Dominus admiscuit, ita etiam in parua quantitate, quia non in magna ipsum Christum apposuisse creditur; & sicuti aqua admixta populum significat, ita parua eius quantitas: quòd longè maior est maiestas Domini, quàm fragilitas populi, vt inquit Concilium Triburiense. quapropter meritò non fuit Eugenio ad rationem incertam, ne dicam falsam, & ex falsa Philosophia desumptam, recurrendum.

At inquiunt Aduersarij, *Si verbum instituendi, quo vsus est Eugenius, expendatur, nihil ex eo colligi potest, quia ibi nil aliud significat, quàm facere, sicut intellexit & expressit Tridentinum Concilium sess. 22. cap. 7. dicens, quia sic Christus fecisse creditur.* Respondere possem, verbum *Facere* sæpè vsurpari pro sacrificare, & in hoc sensu hîc acceptum, sententiam nostram confirmaret: significaret enim aquam fuisse sacrificij materiam. Sed preterea notandum, aliud esse miscere aquam vino, aliud verba consecrationis super vinum & aquam proferre: illud enim est prius, hoc autem posterius. Concilium ergo Tridentinum de priori locutum est, & dixit aquam vino miscendam, quia sic Christus fecit, *Basil. Ponc. §. 14. pag 22.*

cit, ideſt aquam vino miſcuit: at Concilium Florentinum non tantùm dixerat aquam vino miſcendam, ſed etiam ſpectare ad materiam. quare reddens ſui dicti rationem, non ſolùm aſſeruit Chriſtum aquam apposuiſſe, ſed etiam in vino aqua mixto Sacramentum inſtituiſſe, id eſt conſecraſſe: non ergo à Concilio Tridentino Florentinum explicatum fuit, ſed vnumquodque accommodatè ad rem, de qua agebat, locutum eſt.

Sextò, *Non licet*, inquiunt, *alijs materiis ab Eugenio explicatis aliquid addere, ergo neque materiæ calicis, ſcilicet vino.* Reſpondeo nihil nos addere: ipſe enim Eugenius aquæ & vini mentionem fecit.

Septimò obijciunt: *Quia dixit Eugenius panem triticeum eſſe materiam corporis Domini, excluſa intelliguntur alia genera frumentorum, quamuis ingredi ſoleant vſualem panem, & comprehendi ſub nomine frumenti, quo Patres vti ſolent, & nemo dixit per Patrum verba explicandum eſſe Concilij decretum: ergo cùm etiam dixerit materiam calicis eſſe vinum de vite, debet excludi aqua, & per verba Concilij limitari Patrũ verba, non verò Concilium per Patres exponi.* Reſpond. in multis claudicare hanc ſimilitudinem. Primò enim pani triticeo nihil dixit Eugenius eſſe addendum; at verò explicans materiam calicis non dixit ſimpliciter eſſe vinum, ſed cui aqua admiſceri debet.

Se-

Secundò, in panem vſualem triticeum non ingrediuntur ſemina alterius generis niſi per accidens, & præter intentionem, at vero vino apponitur aqua datâ operâ. Tertiò, numquam dixerunt Patres fruměta alterius generis conuerti in corpus Chriſti, at aquam appoſitam in ſanguinem tranſmutari aſſeruerunt. Quartò, tantum abeſt à vero hæc ſimilitudo, vt potiùs oppoſitum dici debeat, quia nec Patres, nec Concilia ita exponi poſſunt, vt præter panem triticeum aliud admittatur tamquam materia corporis Domini: at è contra aquam in ſanguinem verti tam apertè fatentur, vt nulla expoſitione in contrarium ſenſum trahi poſſint, tantumque abeſt, vt Concil. Florent. verba Patrum limitare aut explicare voluerit, vt eorum ſe dicta ſequi profiteatur. Inquit enim, *iuxta teſtimonia PP. pridem in diſputatione exhibita Chriſtum in vino aqua mixto hoc Sacramentum inſtituiſſe.* Cùm ergo fateatur hic auctor limitatione & explicatione dicta Patrum indigere, ne aquam in materia calicis comprehendant, & Concilium Florent. nulla limitatione vel explicatione adhibita ſe ea ſequi profiteatur, planè conſequitur ab vtriſque aquam ad calicis materiam ſpectare diiudicatum.

Denique non obſtante, quòd ſolus panis triticeus ſit vera materia corporis Domini, ſi tamen mediciſſima farina alterius generis eius

compositionem ingrediatur, fit panis, qui totus vertitur in corpus Christi, vt cum D. Thoma sect. 7. notauimus: ergo idem asserendum est de aqua. Quare arundineis verè baculis, vt aiebat Isaias Propheta, videntur hi auctores inniti, quibus ipsorum manus non sustinentur, sed sauciantur.

CAP. V ad SECT. IV.

Cur aqua modicissima sit calici infundenda.

RESpondimus huic quæsito sect. 4. nostræ disput. & quinque attulimus rationes, cur aqua modicissima vino admisceatur, quarum nullã agnoscit, vel recipit sæpè citatus auctor: Cap. 8. hanc autem solam suæ sententiæ subseruien- pag. 46. tem ipse assignat, vt aqua faciliùs in vinum verti possit, *Alioqui*, inquit ipse, *otiosum esset huiusmodi præceptum. Nam licet aqua apponeretur in maiori quantitate, semper tamen ipsa censeretur* pag. 147 *moraliter vinum.* & paulò pòst; *Ergo tota ratio propter quam præcipitur modicam aquam vino admisceri, est, vt faciliùs & celeriùs priùs in vinum transeat quàm fiat consecratio.* Hæc ille, qui si dixisset vnam ex rationibus hanc esse, falsum fortassis dixisset (si videlicet de physica & reali conuersione locutus fuisset.) quoniam, vt notauimus, neque Concilia, neque Patres hanc

vii-

vnquam attulerunt,ſed alias:veniâ tamen non fuiſſet indignus. At aſſerere hanc eſſe totam rationem, & alioqui otioſum eſſe hoc præceptum,hominis certè fuit ſuam ſententiam nimiùm amantis, & lectoris credulitate abutentis. Nam ſi hęc eſt tota ratio,ergo quando pręcipit Eccleſia, vt, deprehenſo aquæ defectu poſt conſecrationem corporis,aqua ſimul cum vino apponatur, & ſtatim verba conſecrationis proferantur, non eſſet tunc neceſſe modicam aquam apponere;quia tunc ceſſaret ratio conuerſionis in vinum, quæ in inſtanti fieri nequit. Præterea tunc Canonum & Conciliorum dicta videretur contemnere Eccleſia: ſi enim aquæ conuerſionem in vinum tanti faciunt illa,vt ob hoc tantùm præcipiant in modiciſſima quantitate apponi,non minùs ei repugnabit qui aquam eo tempore & modo apponit, quo certò ſcit non eſſe in vinum conuertendam, quàm qui in magna quantitate ei infundit:ex vtroque enim idem inconueniens ſequetur,ob quod ſolum vitandum illud præceptum de aquæ modicitate traditum fuit. Atqui non eſt credibile Eccleſiã ſibimet eſſe contrariam,& Conciliorum decreta non obſeruare: ergo dicendum eſt, non eam eſſe rationem illius præcepti.

Præterea etiam in Aduerſariorum ſententia illud ſolum præceptum de aqua modiciſſima

ma apponenda non est sufficiens ad aquæ conuersionem: nam oportet etiam temporis congruentem moram intercedere,& vinum etiam esse generosum, & non admodum debile, vel nimis crassum.si ergo Concilia aquæ in vinum conuersionem sibi proposuissent præscribendam, etiam illas alias circumstantias huic conuersioni necessarias præcepissent: cùm ergo nec ipsa præceperint, nec Ecclesia obseruet,signum est, non in eum scopũ decreta sua Concilia collineasse.

Quod etiam ad euertendam nostram sententiam subdunt, *Nam licet aqua apponeretur in magna quantitate, semper tamen ipsa censeretur moraliter vinum*; à veritate dissonat: quoniam nisi vinum sit valdè generosum, magis aquæ proprietates sentientur quàm vini, ac proinde non erit aqua conuersa in vinum moraliter. Quare etiam in nostra sententia semper tutius est parum aquæ apponere, nec fortè excepto temporis interuallo, minus ad moralem conuersioné requiritur, quàm Aduersarij ad physicam exigant. Tutius est inquam modicam aquam apponere, non verò tutior Aduersariorum sententia.quod dictum falsò,& nulla coniectura innixi nobis Aduersarij impingũt, cùm in tota nostra disputatione in id præcipuè incumbamus, vt eorum sententiam falsam, improbabilem & minùs tutam demonstremus.

*Cap.*10 *pag.*53.

Præ-

Prætereunda quoque non est ratio S. Thomæ, quam ipsi tamquam nostram impugnant; est autem, *Quia, si aqua in magna quantitate apponeretur, vini species soluerentur, & sic materia consecrationis calicis non ampliùs remaneret.* Cui hanc censuram supracitati auctores adhibent: *Hac doctrina omnino falsa est, nec subsistere aliqua ratione potest.* Et in fine illius cap. 9. *Præfata solutio*, inquiunt, *ab omni sacrorum Conciliorum, SS. Patrum & Scholasticorum sensu, communíque Ecclesiæ vsu prorsus est aliena.* Sed non est cur huiusmodi inanes clamores & vociferationes timeamus, cùm & veritas, & S. Thomæ auctoritas nobiscum adsint: nam S. Thomas quæst. 74. art. 8. hæc habet verba; *Semper tutius est parum de aqua apponere, & præcipuè si vinum sit debile: quia si tanta fieret appositio aquæ, vt soluerentur species vini, non posset perfici Sacramentum.* Non inquit, vt volunt Aduersarij, quia aqua non conuerteretur in vinum, consequenter neque transubstantiaretur in sanguinem, sed quia soluerentur species vini. Neque hanc S. Thomæ doctrinā potuerunt ignorare Aduersarij: nam eumdem locum, & eius immediatè antecedentia verba de hac ipsa re agentes adduxerunt. Iudicet ergo lector, qua animi propensione in hanc nostram sententiam Aduersarij ferantur, cùm, vt eam confodiant, suum ipsorum præceptorem & patrem, censurarum gla-

Cap. 9. pag. 49.
Pag. 52.
Cap. 11. pag. 62. & c. 8. pag. 48.

gladijs transfuerberare non vereantur.

Sed S. Thomæ etiam auctoritate seclusâ, quid habet illa responsio à sacra & vera doctrina alienum? an quòd asserat aquam in magna quantitate vini species soluere? At ipsi hoc magis, quàm nos admittere debent: cùm enim non nisi inter contraria detur actio, vtique, si potest à vino aqua corrumpi, multò magis vinum ab aqua, si hæc in quantitate præualeat, & alioqui primas qualitates intensiores possideat, ad interitum perduci fatendum erit; an solutis speciebus vini non ampliùs adesse consecrationis materiam? atqui hoc est certa fide tenendum. Quid igitur est in hac responsione, acri illa censura tantaque indignatione dignum?

CAP. VI. ad eamdem SECT. IV.

De Concilij Tridentini testimonio.

Vini dumtaxat accidentia remanere post eius transubstantiationem in sanguinem Christi asseruit Concilium: ex quo sicuti deducimus nos aquæ substantiam simul cum Domini sanguine non permanere, ita Aduersarij eamdem in sanguinem non transmutari colligunt: si enim transmutaretur, inquiunt, eius vtique accidentia simul cum accidentibus vi-

Cap. 5. pag. 18.

ni superessent: atqui per illam particulam exclusiuam *dumtaxat* omnia accidentia quæ vini non sunt, ablegantur. Nos ergo hîc duo præstabimus: Primum, Concilium Tridentinũ per illam particulam (*dumtaxat*) nequaquam nobis aduersari: Alterum, quin ab eo confodiantur, non posse Aduersarios effugere, demonstrabimus.

Quoad primum, aderit nobis in primis appositissima auctoritas Iulij I. Summi Pontificis, qui dist. 2. de consecrat. cap. *cùm omne.* simili exclusiua dictione vtitur, per quam tamen non debere aquam excludi ipsemet paulò pòst declarat. Inquit igitur Iulius, *Manifestum & euidens Euangelicæ veritatis exemplum illuxit, quòd præter panem & vinum aliud offerri non licet.* En particulam exclusiuam (*Præter*) numquid tamen per eam aquam excludere voluisse Iulium credendum est? Ipsemet audiatur: paulò pòst enim inquit, *Calix Dominicus iuxta Canonum præcepta vino & aqua permixtus debet offerri.* Si autem ab eo quæsitum fuisset, Cur ergo dixisti præter panem & vinum aliud offerre non licere: quid aliud respondere potuisset, quàm sub vini nomine etiam aquam ei admixtam comprehendi, vt multis alijs exemplis & auctoritatibus, nos quoque sect. 11. ostendimus? Eodem igitur modo erit intelligendum & Concilium Tridentinum: eius enim vini remanere de-

debent dumtaxat ſpecies, quod cõſecratur: atqui conſecratur vinum aquâ mixtum: ergo & accidentia ipſius aquæ mixtæ ſimul cum vini accidentibus remanebũnt. Enimuerò de qualitate accidentium poſt conſecrationẽ remanentium non aderat ratio cur admodum ſoliciti eſſent Concilij Tridentini Patres: quia de hac nulla erat cum hæreticis concertatio, neque inde aliquid contra veritatem & ſinceritatem Euchariſtiæ deduci poterat. Nam etſi poſt conſecrationem abſcedat ab illis accidentibus frigus, & adueniat calor, vel è conuerſò calori ſuccedat frigus, vt ſæpè euenire ſolet, numquid aliquod inconueniens hinc ſequetur? numquid erit hoc contra Concilij Tridentini mentem, eò quòd ille calor, vel frigus adueniens dici nequeat accidens vini, cùm neque à vino ſit productum, neque eius ſubſtantiam vmquam affecerit? Non profectò: ergo non fuit Concilij mens aliquod accidens extraneum ab accidentibus vini excludere, ſed omnem aliam ſubſtantiam à ſpeciebus conſecratis arcere; contra nonnullos, qui licet admitterent præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, ſimul cum ea, vel totam panis & vini ſubſtantiam, vel eorum materiam permanere aſſerebant. non ergo nos, qui accidentia tantùm in calice poſt conſecrationem ſimul cum ſanguine admittimus, Concilio repugna-

pugnamus; ſed ipſi Aduerſarij noſtri, qui ſubſtantiam aquæ ſimul cum vini accidentibus ſuperſtitem eſſe contendunt, Concilij decretis aduerſantur; eſtque in eorum ſententia hoc adeò certum, vt datâ quoque aquæ in vinum conuerſione, non poſſint Aduerſarij effugere, quin aliqua alia ſubſtantia ſimul cum Chriſti ſanguine ſuperſit. Quod euidenter probatur, quia nulla eſt tam perfecta in rerum natura conuerſio, quin ex ea aliquid reliquiarum non conuerſum relinquatur. Vt patet in omnibus conuerſionibus, & præcipuè in omnium violentiſſima, qualis eſt in ignem: quamuis enim pabulum ſit minimæ reſiſtentiæ, & eius naturę maximè proportionatum, quale eſt fœnum vel ſtuppa; aliquid tamen cineris ſupereſt, aliquid etiam infumum euaneſcit, quare non totum vertitur in ignem: ſimiliter ſi aqua in ignem conijciatur, aliqua pars eius ſaltem in vaporem & fumum vertitur. Imò ſi cibus reperiretur qui totus in ſubſtantiam aliti nullâ ſuperfluitate relictâ tranſmutaretur, hominem huiuſmodi cibo vtentē à morte naturaliter fore immunē nonnulli credunt. ſed de hoc aliàs. Cùm igitur vinum non maiori vi ad aquam in ſe conuertendam, quàm ignis ad comburendam ſtuppam, vel ad eamdē aquam in ſe tranſmutandam, & animal ad cibum concoquendum, præditum ſit; perſpicuum eſt, non ita poſ-

ſe aquam à vino in ſe ipſum tranſmutari, quia aliquid eius non tranſmutatum ſuperſit. hoc ergo cùm non ſit, vinum non tranſubſtantiabitur in ſanguinem, ac proinde ſimul cum accidentibus vini remanebit. quod eſt apertiſſimè contra Concilium.

Obijciunt alij, In Concilijs numquam reperitur mentio de aquæ conuerſione in ſanguinē: quod ideò factum eſſe diuina prouidentia credendum eſt, ne ob eam ambiguam locutionem exiſtimaret quis, aquam in ſanguinem verti. Reſpon. etſi fortaſſis hoc verbo conuerſionis Concilia non vtantur, alijs tamen verbis æquipollentibus aquæ conuerſionem in ſanguinem ſignificaſſe: nam dicunt panē, vinum & aquam eſſe vnum in Chriſto, diſt. 2. de conſecrat. cap. *cùm omne*. ex Concilio Bracar. id autem eſt, vt exponit Gloſſa, conuerti in Chriſtum. ſi enim aqua non conuerteretur in ſanguinem, non eſſet cum vino vnum in Chriſto, imò Chriſtus aquam à vino diuideret, alterum enim in ſe conuerteret, alteram relinqueret: ſi etiam priùs in vinum verteretur, non eſſet vnum cum pane, qui in Chriſtum vertitur, neque in Chriſto eſſet vnum cum vino, ſed antequam adeſſet Chriſtus. Item affirmant Concilia inſtituiſſe Chriſtum ſanguinis ſui Sacramentum in vino aqua mixto, & panem, vinum & aquam offerri. Quibus & ſimilibus locutionibus

nibus aquæ in ſanguinem conuerſionem perſpicuè indicant.

CAP. VII. ad eamdem SECT. IV.

De ſenſu verborum Innocentij tertij Summi Pontificis.

OMnem lapidem, imò feſtucam Aduerſarij mouent, vt Innocentium à nobis ſtantem ad ſe pertrahant. ſed fruſtra. Adducunt ergo recentiores eius teſtimonium ex cap. 3. de Sacrificio Miſſæ, vbi hæc habet verba: *Quibuſdam non abſurdum videtur, quòd aqua cum vino tranſit in ſanguinem, ea videlicet ratione, quia aqua per admixtionem tranſit in vinum, & vinum per conſecrationem tranſit in ſanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum tranſire, cùm multo vino modicum infunditur aqua? alioquin tota vini ſubſtantia propter aquæ guttam mutaretur, vt quiddam fiat ex illis confuſum.* Ponderant autem Aduerſarij illa præcipuè verba, *Quibuſdam non abſurdum videri,* &c. quaſi dicat, inquiunt, abſurdum eſſe & monſtruoſum aſſerere aquam verti in ſanguinē abſque eo quòd priùs tranſeat in vinum. Verùm non æqua lance verba Innocentij ponderarunt, nec aduerterunt loqui Innocentium de tranſitu aquæ in vinum morali, non autem de phyſico, ac conſequenter noſtram ſententiam probaſſe, non ipſorum.

Colligo hanc eius mentem, Primò, quoniam si aqua in vinum physicè transmutata esset, ea certo certiùs in sanguinem mutaretur: iubet enim fides, vt totam vini substantiam in Christi sanguinem verti credamus. Cùm ergo non tamquam certum, sed tamquam valdè tantùm probabile, & non absurdum hoc tradat Innocentius, idque non ab omnibus Christi fidelibus fide teneri, vt par erat dicere, si de aqua in vinum physicè versa locutus fuisset, sed tantùm de aliquibus asserat; planè consequitur eum de transitu non physico, sed morali verba fecisse. Dices, non omnibus Christi fidelibus hanc asscripsisse sententiam Innocentium, non quia vinum in sanguinem verti apud omnes pro certo non habeatur, sed quia non omnes hanc aquæ transmutationem in vinum admittunt. Verùm hanc responsionem reijcit ipsemet Innocent. nam subijcit, *Quis enim ambigat, aquam in vinum transire?* &c. Supponit ergo neminem dubitare de transitu aquæ in vinum, & tamen non secundùm omnes ipsam in sanguinem verti: ergo non loquitur de transitu physico, quia hoc posito nemini potest esse dubium in sanguinem ipsam transmutari, sed de morali, quo dato, adhuc non desunt, qui negent eam transubstantiari in sanguinem. Confirmatur ex eius cōsequentibus verbis, nimirum, *Alioquin tota vini substantia propter aquæ guttam mu-*

mutaretur, vt quoddam fiat ex illis confusum. Hoc enim inconueniens non sequi ex eo, quòd physicè aqua in vinum non transeat, & ipsi Aduersarij fateri cogentur: concedunt enim aliquando in calice aquam in vinum physicè non transire. si ergo tunc, vt inferebat Innocentius, tota vini substantia mutaretur, & fieret quoddam ex illis confusum, non adesset amplius materia transubstantiationis, quę est substantia vini, irritumque esset Sacramentum. quod esset maximum inconueniens, & contra sensum totius Ecclesiæ. si autē dicamus, absurdum ab Innocentio illatum sequi tantùm ex non conuersione morali, nullum inferri poterit incommodum, imò omnia perbellè & veritati, & Sacramenti venerationi, & Ecclesiæ Catholicæ ritibus congruent. Verissimum enim est, quòd, si aqua vino admixta non ita sit apposita, vt censeatur in vinum transisse moraliter, non potest illud quod est in calice, appellari vinum, ac proinde non erit apta materia consecrationis calicis. Est igitur maximè absurdum & monstruosum, quòd aqua, quæ priùs in vinum moraliter non transiuit, vertatur in sanguinem; non autem quòd aqua moraliter quidem, non tamen physicè, vini substantiam sit ingressa.

Confirmatur, quia, si negetur transitus aquę in vinum physicus, oportet etiam negare actio-

nem inter ipſa corruptiuam: ſi ergo non corrumpuntur, quomodo inquit Innocentius, non fore ampliùs illud mixtum ex aqua & vino, nec aquam, nec vinum, ſed aliquid ex illis confuſum? Phyſicè hoc vtique dici nequit, quia phyſicè non ſunt corrupta; ergo de quadam deſitione morali hoc erit intelligendum, quia illud totum, neque aquæ, neque vini denominationem ſubire poterit. Nobiſcum igitur ſentit Innocent. & hanc noſtram tantùm ſententiam approbauit.

Id ipſum ex aliis verbis eiuſdem Innocentij confirmauimus in noſtra prima diſp. ſect. 4. Quærens enim, quid ſi plus apponatur aquæ quàm vini, erit irritum Sacramentũ? Reſpondet, *Oportet quidem, quòd tantum vini ibi ponatur, vt aqua commixtum ſaporem vini retineat.* Quem locum vt eludant Aduerſarij, inquiunt ex accidentibus arguere Innocentium ſubſtantialem mutationẽ, & idem fuiſſe dicere aquam retinere ſaporem vini, atque in vinum eſſe cõuerſam. Sed quàm ſit hæc expoſitio abſurda facilè demonſtratur: ſequeretur enim velle Innocentium irritum eſſe Sacramentum, quotieſcumque aqua non eſt phyſicè in vinum conuerſa quod nemo vmquam dixit, nec ipſi Aduerſarij concederent. Numquam enim de Sacramenti veritate certi eſſemus, cùm de aquæ in vinum cõuerſione lis adhuc ſub iudice pendeat,

Baſil. Ponce §. 14. *pag.* 10.

deat, & interdum in ipsum cōuersam non esse certum sit.

Dices, sufficere ex Innocentio, quòd aqua saporem vini retineat, ad hoc, vt non sit irritum Sacramentum, non verò, vt aqua transeat in sanguinem. Sed & hoc facilè reijcitur. Primò, quia, si aqua non esset in sanguinem vertenda, nihil referret, quòd vini saporem retineret. Secundò, quia ipsemet Innocentius iam pro absurdo se habere declarauerat, aquam simul cum sanguine permanere. Tertiò, quoniam si aqua vini saporem retineat, non poterit à vino discerni, non ergo vinum solum consecrari poterit, cùm materia debeat esse determinata. Quartò, quoniam magnum esset absurdum post consecrationē sub vini sapore aliam substantiam, quæ non esset sanguis Christi, delitescere. Apertissimè igitur Innocentius sententiam nostram hîc amplexus est: nam aquam in vinum physicè non transire supposuit dum dixit maiorem quantitatem aquæ adesse quàm vini; transire moraliter, cùm affirmauit eamdem vini saporem retinere; in sanguinem verti, dum irritum non fore Sacramentum asseruit. Vide igitur lector, quàm falsò nobis ab Aduersarijs imponatur velle nos sententiam nostram ab Innocentio inter minùs probabiles fuisse connumeratam: extremæ enim dementiæ fuisset sententiā, quam Summus Pontifex

Cap. 14 pag. 90.

tifex vt probabilissimam cæteris prætulit, consultò relinquere, vt minùs probabilem amplecteremur. sicuti etiam à veritate longissimè abest, quod asserunt nos fateri sententiam nostram esse minùs tutam, Aduersariorum verò tutiorem. Quomodo enim tutiorem fatemur Aduersariorum sententiam, si eam dicimus ex institutione augustissimi Sacramenti reijci, Concilijs & sanctionibus Summorum Pontificum reprobari, Patribus omnibus aduersari, Theologicis rationibus falsitatis coargui, & plurima absurda ex ea consequi? Absit à nobis, vt huiusmodi sententiam tutiorem vmquam existimemus.

CAP. VIII. ad SECT. V.

De Cardinalis Baronij auctoritate.

ETsi tam apertè Cardin. Baronij auctoritas nostræ sententiæ patrocinatur, vt ex Aduersarijs quoque plerique id ipsum fateantur: non desunt tamen qui eiusdem Cardin. sententiam tamquam nostræ repugnantem nobis opponere non vereantur, seque hoc lectoribus persuasuros leuibus & fallacibus coniecturis confidant. Harum prima est, *Ecclesia Romana semper credidit & custodiuit, aquam vino appositam in calice priùs in vinum transire, & deinde in sanguinem:*

guinem : ergo credendum est hunc eumdem esse sensum Card. Baronij. At non solùm à veritate, sed etiam à recta disputandi methodo abhorret hæc coniectura. Primò, enim ordinem peruertunt, cumque auctoritate Baronij Ecclesiæ sensum probare deberent, ipsi è contra ab Ecclesiæ sensu Baronij mentem aucupātur. Quid est enim, de quo vertitur inter nos disputatio? id ipsum quod ipsi supponunt : affirmant ipsi aquam in vinum priùs transire, deinde in sanguinem : nos quidquid sit de physico transitu in vinum, semper volumus aquam vino mixtam in sanguinem transubstantiari. vterque autem nostiûm S.R.E. sensum sequi se arbitratur : absit enim vt ab ea vel latum etiam vnguem sciens præsertim & prudens discedam. In eruenda igitur Ecclesiæ Romanæ sententia tota nostra disputatio versatur, eamque nos ex dictis Cardin. Baronij argumentamur à nobis stare; Aduersarij è contrà sibi adesse contendunt, & cap. 13. hoc titulo prænotant : *Probatur nostra sententia peculiariter auctoritate Baronij*. Cùm autem expectet lector Baronij auctoritatem pro illorum sententia, afferunt ipsi suam ipsorum sententiam ad Baronij auctoritatem sibi conciliandam, & qui productus erat in testem illius, testimonio pro quo testificaturus erat, indigens ostenditur. Quid aliud autem hoc est, quàm disputationem in-

uertere, principium, vt Dialectici aiunt, petere, circulum texere, ignotum per ignotius, & falsum per falsius velle probare? Falsissimum est enim Ecclesiam Romanam semper credidisse, aquam priùs in vinum, quàm in sanguinem transire (nisi hoc de morali transitu, quem ipsi non admittunt, intelligatur.) Cùm enim substantialis aquæ transitus in vinum sit res merè philosophica, non pertinet ad Ecclesiæ Romanæ fidem, cùm sit recenter excogitatus (antiquitas enim omnis, vt infrà dicetur, contrarium sensit) non potuit ei non esse suspectus, cumque sit falsus, non potuit eius certissima fides subesse. Nec Catechismus Romanus, quem citant, illis suffragatur, vt sect. 11. demonstrauimus. Secunda coniectura ipsorum est, *Quia tunc temporis*, inquiunt, *quando D. Gaufredi epistola, quam refert Baronius, scripta fuit, solùm erat controuersum an aqua remaneret aqua, vel potiùs priùs in vinum conuersa transubstantiaretur in sanguinem Christi; non, an immediatè aqua in sanguinem transiret, quia de hoc in præfata epistola nulla fit mentio: & alioqui dicere debuisset Gaufredus alios affirmare aquam immediatè transubstantiari in sanguinem Christi.* Sed hæc facillimè refellentur, & ex verbis epistolæ Gaufredi, & ex ipsiusmet auctoris testimonio, qui ea excogitauit. Ex Gaufredo: nam qui affirmabant aquam verti in sanguinem, tantum abest, vt vel-

vellent eam priùs verti in vinum, vt Aduersariis obiicientibus vinum tantùm esse materiam calicis, respondesint, *Quòd non consueuere homines mixturam vini & aqua, nec si quantitas aqua praualeat, aquam nuncupare, sed vinum.* si enim aquam præualere vino supponebat; vtique in vinum conuerti non existimabat. Præterea vbique loquuntur de aqua mista vino, vel de aqua absolutè, & numquam de aqua conuersa in vinum: ergo pro explorato habebant eam non esse in vinum conuersam.

Sed audiamus ipsos recentiores apertissimè sibi contradicentes. Nam post relatam huiusmodi epistolam subdunt: *Ex quibus verbis patet satis, disputationem tunc minimè fuisse de immediato transitu aqua in sanguinem Domini, sed solùm, supposito quòd aqua numquam in vinum conuertatur, quarere quid de ea fiat.* At quis non videat, hoc supposito, esse non posse quæstionē, nisi de immediato transitu aquę in sanguinem? Qui enim supponit aquam non verti in vinū, quomodo deinde affirmare potest aquam mediatè, id est priùs in vinum, & deinde in sanguinem, transmutari?

Rursus paulò pòst idem auctor inquit fuisse tunc temporis communissimam opinionem, aquam non conuerti in vinum: ex quo infero, ergo erat etiam communissima opinio, aquam immediatè in sanguinem verti, quoniam omnes *Pag.* 86

nes

nes Patres, imò omnes Doctores, vſque ad illud tempus aquam conuerti in ſanguinem pro comperto habuerunt, vt etiam teſtatur Gaufredus: atqui hoc non poterat intelligi de conuerſione mediatâ, quia communiſſima opinio erat non conuerti in vinum: ergo cenſebant immediatè tranſmutari in ſanguinem. Præterea, ſi verum eſſet, quod aiunt recentiores, hos auctores negantes aquam conuerti in vinum, cenſuiſſe conſequenter aquæ ſubſtantiam ſimul cum ſanguine remanere; non dixiſſet Baronius hæreſim negantium aquã verti in ſanguinem illo ſæculo exortam fuiſſe: ſimul enim atque exoritur aliqua opinio, non poteſt eſſe communiſſima: atqui, vt recentiores fatentur, communiſſima tunc erat opinio, aquam non verti in vinum: ergo vel cenſebatur verti nihilominùs in ſanguinem, vel exiſtimabant ſimul cum ſanguine remanere. Hoc poſterius dici non poteſt, quia hæc hæreſis, vt eam vocat Baronius, illo ſæculo exorta fuit, nec potuit eſſe communiſſima; ergo illud prius eſt aſſerendum, ac proinde fuiſſe tunc communiſſimam opinionẽ aquam verti immediatè in ſanguinẽ.

Conueniebant igitur omnes in communiſſima opinione; quòd aqua non verteretur in vinum: & multis perſiſtentibus in veteri quoque ſententia, quòd hæc aqua nihilominus verteretur in ſanguinem, exorta fuit aliorum ſen-

ſententia hoc negantium, vt inquit Baronius. quod etiam clarìus aſſerit poſt relatum miraculum de quo ſuprà egimus: inquit enim, *Hac de tranſubſtantiatione aquæ in ſanguinem Chriſti per cõmixtionem corporis diuinitus facta, quod ſemper fieri in vino, cùm miſtio intercederet, antiquitas exiſtimauit*. Non inquit, Cùm aqua verſa eſſet in vinum, quia tunc eſſet de fide in ſanguinem verti, & non tantùm ex antiquorum opinione, ſed, Cùm mixtio intercederet, quæ ſimul cum conuerſione eſſe nequit, vel eam ſaltem non ſupponit.

Tandem tamquam hæreſim damnat Baronius opinionem negantium aquam vino mixtam in ſanguinem verti: ergo non loquitur de aqua in vinum conuerſa, quia tunc nemo negabat aquam in vinum conuerſam mutari in ſanguinem; ſed de illis loquitur qui aquam ſimul cum ſanguine remanere volebant. Quare & Aduerſarij dicunt ipſum in hoc exceſſiſſe, & hæreſim non eſſe, hoc negare. Damnat igitur Aduerſariorum ſententiam, qui hoc aliquando ſaltem contingere aſſerunt; & è contra dum ait aquam vino mixtam in ſanguinem verti, non poteſt intelligi de aqua in vinum tranſmutata, quia hoc numquam, vel non ſemper euenit, ſed de accidentaliter ei tantùm mixtâ.

Ad miraculum autem pro noſtra ſententia à Baronio allatum quid reſpondent? Nec ei qui-

Cap. 17. pag. 88. quidem parcunt, ſed inquiunt, *Si immediatam aquæ in ſanguinem conuerſionem inde liceret argumentari, poſſemus etiam dicere, fieri hanc conuerſionem abſque verborum virtute, ſtatim ac eſt aqua vino in calice commixta, ſicut ibi effecta eſt ſanguis miraculosè ſine vllis verbis.* Reſpõdeo negandam conſequentiam. & ratio eſt, quia nulla tunc vigebat controuerſia circa verborum virtutem, neque aſſerebat quiſpiam ſine verbis aquam fieri ſanguinem, vt proinde oporteret ad hanc dirimendam litem miraculum patrari; multi tamen negabant aquam in ſanguinem verti, volebantque eius ſubſtantiam ſimul cum Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento permanere. quod hoc miraculo inconueniens eſſe oſtendit Deus, dum per immiſſionem Euchariſtiæ in aquam, hæc verſa eſt in ſanguinẽ. quòd ſi per vini admixtionem hoc contigiſſet, tunc vim aliquam haberet Aduerſariorũ argumentum; at ſi nullum hîc adfuit vinum, quomodo inferunt aquam, ſtatim ac vino miſcetur, debere ſanguinem fieri, ſi omnino ſeruanda eſt proportio?

CA-

CAPVT IX. ad SECT. VII.

De S. Thoma nostræ sententiæ patrocinante.

QVamuis abundè ex dictis sect. 7. S. Thom. nobiscum sentire patere possit, quia tamen necdum Aduersarij acquiescunt, nonnulla addere, ad hoc idem confirmandum, operæ pretium erit. In quarto igitur Sentētiarum distinct. 11. q. 2. a. 4. quæstiunc. 1. idem S. Doctor inquit *de aqua in Euangelio mentionē non fieri, quia non est principalis materia in hoc Sacramento.* Existimat igitur Angelicus Doctor, esse quidem aquam materiam, sed non principalem.

Respondent Neoterici, *nomine materiæ principalis intelligi materiam necessariam de necessitate Sacramenti: dato igitur aquam esse materiam minùs principalem, erit tantùm de necessitate præcepti, & priùs in vinum transire debebit, vt possit in sanguinem verti.* Omnia perbellè, nisi hanc vltimam particulam addidissent, quæ & falsa est, & prioribus verbis non cohæret. Libenter igitur accipimus aquam esse materiam minùs principalem, hoc est de necessitate præcepti, non Sacramenti: hoc ipsum enim est quod nos volumus; at priùs eam debere transire in vinum, non cum præcedentibus conuenit. Nam Cap. 16 pag. 105

ſi eatenus tantùm eſt materia quatenus tranſit in vinum: ergo vel materia principalis, vel nullatenus materia dici debet. Si enim conſideratur, vt tranſmutatur in vinum, iam eſt materia principalis, quia eſt vinum; ſi non tranſmutatur, ergo nullatenus materia, quia non poteſt verti in ſanguinem. Confirmatur, quia nec farina, nec aqua dicuntur materia corporis Chriſti minùs principalis, eò quòd poſſint in panem verti, qui eſt principalis materia. Præterea fruſtra diſtingueretur à vino, tamquam à materia principali, ſi eatenus tantùm eſſet materia, quatenus idem & vnum fit eum eo. Quartò, eadē ratione quilibet alius liquor dici poſſet materia minùs principalis: ſi enim trāſeat in vinum, proculdubio fiet ſanguis, at aliquid peculiare de aqua ſignificauit hîc S. Thomas. Quintò, argumentantur alibi ijdem auctores aquam non conuerti in ſanguinem immediatè, quia non erat materia ſanguinis: ergo cùm hîc fatentur eam eſſe materiam, conuerti negare non poſſunt. Denique quotieſcumque aqua calici infunditur, ſemper eſt dicenda materia minùs principalis, quia & ſignificationem ſacramentalem participat, & eadem intentione ſemper admiſcetur: at non ſemper in vinum conuertitur, vt ſæpiùs dictum eſt: ergo non dependenter à conuerſione in vinum eſt materia.

Præterea 3.p.quæſt.74.art.6. ad ſecundum, quod

quod erat huiusmodi, Diuersorum Sacramentorum diuersæ sunt materiæ: sed aqua est materia Sacramenti Baptismi, ergo non debet assumi ad materiam huius Sacramenti; Respondet S. Thomas, quòd aqua assumitur in Baptismo ad vsum ablutionis, in hoc autem Sacramento assumitur ad vsum refectionis, iuxta illud Psalmi, *Super aquam refectionis educauit me.* Existimat igitur S. Thomas aquam esse materiam Eucharistiæ, sicuti etiam est materia Baptismi, quamuis alio modo. Respondent Aduersarij non dicere S. Thomam, aquam esse materiam refectionis, sed assumi ad vsum refectionis. Tunc autem aquam assumi ad vsum refectionis quando est in vinum conuersa: tunc enim solùm constat aquam reficere, cùm ex seipsa naturaliter ad reficiendum apta non sit, secundùm suam substantiam scilicet spectata. Sed hęc ne hilum quidem vim argumenti nostri obtundunt, imò potiùs roborant. Quod enim Primò inquiunt, *non dici aquam materiam refectionis, sed assumi ad vsum refectionis*, non obstat, quia & de aqua Baptismi dixerat S. Thom. assumi ad vsum ablutionis. sicuti ergo per hunc modum loquendi non excluditur aqua à materia Baptismi, ita neque debet excludi à materia Eucharistiæ. Quod aiunt aquam non reficere secundùm suam substantiam, verum est: at non est hîc sermo de refe- pag. 112

ctione naturali, ſed de ſupernaturali, quam præſtat dum fit ſanguis Chriſti; cumque alioqui non reficiat, vt verum ſit Prophetæ & S. Thomæ dictum, fateri oportet eam in ſanguinem conuerti.

Pa.139 Libentiſſimè etiam amplector, quod ait hic auctor, aquam non reficere, & rurſus c.18. aquam non nutrire, quia hoc mirum in modum confirmat ſententiam noſtram de non conuerſione aquæ in vinum: nam ſi aqua non reficit, nec nutrit, ergo non in ſanguinem, nec in ipſam animalis ſubſtantiam conuertitur: at ſi ab animali, à quo plurima alia conuertuntur, non poteſt in propriam ſubſtantiam aqua verti, quomodo à vino, quod longè minori vi præditum eſt, in ſuammet ſubſtantiam tranſmutari poterit? Neque tantùm ex his eius verbis pars philoſophica comprobatur, ſed etiam theologica confirmatur. Nam negare nequeunt Aduerſarij aquam reficere & nutrire mediatè, cùm per ipſos in vinum conuertatur, vinum autem aliquo pacto nutrire & reficere nulli dubium eſt; nam & in ſanguinem vertitur, & ſpiritus gignit, qui exhilarant, & robur addunt, vt meritò Siba fugienti Dauid inter alia munera vinum offerens dixerit: *Vinum autem, vt bibat ſi quis defecerit in deſerto*. 2.Reg.16.2. Hoc tamen non obſtante, ſimpliciter aqua dicitur non nutrire, nec reficere, quia non reficit,

nec

nec nutrit immediatè, ſed priùs in vinum conuerſa: ergo, ſi eatenus tantùm aqua verteretur in ſanguinem, quatenus in vinum priùs vertitur, non diceretur à Patribus ſimpliciter in ſanguinem verti: Patres autem abſolutè, & abſque vlla limitatione hoc aſſerunt, neque vmquam aliquis ipſorum dixit non conuerti: ergo optimè concluditur intellexiſſe eos de conuerſione immediata, non mediata. Nam & ipſi Aduerſarij noſtri dum ſincerè, animoque affectibus non præoccupato res conſiderant, hunc dicendi modum auerſantur, nec admittunt aquam nutrire, vel reficere, quamuis eodem pacto mediatè reficiat & nutriat. Confirmatur; quoniam tolerabilius eſſet hoc affirmare de nutritione aquæ, quàm de eiuſdem conuerſione in ſanguinem: tum quia, dum explicantur dogmata fidei, æquiuocationes, amphibologiæ & figuræ, ne detur erroris occaſio, vitari debent: tum etiam quia, cùm ad aquæ refectionem duæ conuerſiones naturales concurrant, faciliùs ac ſi vna tantùm eſſet reputari poſſunt; cùm verò ad conuerſionẽ eiuſdem in ſanguinẽ altera naturalis requiratur, & altera ſupernaturalis, difficiliùs vnius conuerſionis nomine comprehenduntur.

Sed vt ad D. Thomã reuertamur, obijciunt nobis Aduerſarij eiuſdem reſponſionem ad 2. in 4. diſt. 11. qu. 2. art. 4. quæſtiunc. 1. vbi poſt-

 quam

quam oppoſuerat ſibi hoc argumentū: *Vinum & aqua ſunt alterius ſpeciei: ſi ergo aqua admiſcetur vino, erit triplex materia huius Sacramenti; ſed hoc eſt abſurdum*, &c. Reſpondet, quòd de aqua appoſita eſt duplex opinio: quidam enim dicunt, quòd aqua manet in ſua natura, & ſolùm vinum tranſubſtantiatur, vnde aqua non apponitur ibi niſi ad ſignificationem: alij verò dicunt, quòd aqua appoſita in vinum conuertitur, & ſic totum in ſanguinem Chriſti tranſubſtantiatur. Quæcumque autem harum opinionum ſit vera, aqua non erit materia huius Sacramenti. Nullo pacto igitur, inquiunt, S. Thomas pro materia ſanguinis Chriſti agnoſcit aquam. Sed facilis eſt reſponſio ex eodem S. Thoma, qui ibidem in Corpore, vbi clariùs explicari ſolet auctoris mens, quàm in reſponſionibus ad argumenta, quæ non ad explicandam veritatem, ſed ad ſatisfaciendum obiectis diriguntur, & doctrinam in Corpore traditam ſupponunt; in Corpore igitur illius articuli inquit S. Thom. aquam non eſſe materiam principalem: cùm ergo in reſponſionibus negat aquam eſſe materiam, intelligit non eſſe principalem, referens ſe ad illud quod in Corpore dixerat: alioqui eſſet ſibimet contrarius. & hoc etiam ſufficiebat ad argumenti ſolutionem: ex eo enim quòd aqua non eſt materia à vino diuerſa, ſequitur non eſſe triplicem materiam.

Quod

Quod autem ait S. Thomas, duplicem tantùm esse opinionem circa aquæ conuersioné, nostræ quoque sententiæ fauet. Nam cùm doceret ipse Parisiis, & in Gallia agitata fuisset quæstio illa de qua Gaufredus in epistola superiùs allata loquitur, non est credibile eam ignorasse D. Thomam: cùm ergo in illa supponeretur aquam in vinum non cōuerti substantialiter, vt ex ipsius epistolæ contextu, & testimonijs etiam Aduersariorum comprobauimus, & S. Thomas dicat esse tantùm duplicem opinionem, alteram asserentem aquam conuerti in vinum, & deinde in sanguinem; alteram verò vtramque conuersionem negantem; credibile est de conuersione morali eum fuisse locutum, vel (vt aliquid Aduersarijs demus) de conuersione generatim sumptá, siue hæc physica sit, siue moralis: cùm ex vtraque idem colligeretur, scilicet aquæ in sanguinem transubstantiatio.

Ex ijs quoque, quæ de pane triticeo, cui modicum hordei fuerit admixtum, ex S. Thoma in nostra sect. 7. retulimus ipsum nostram sententiam amplecti, perspicuè patet. cui tamé argumento ne manus dent recentiores, non verentur asserere modicam farinam hordeaceam multæ triticeæ admistam in ipsam conuerti. quod adeò improbabile est, & à communi omnium sensu remotum, vt confutatione ferè non

Cap. 16 pa. 107.

non indigeat. Quis enim non videat nullam alterationem nullamque actionem corruptiuam inter farinam hordeaceam & triticeam intercedere? Quis autem nesciat sine præuia alteratione generationem non fieri? Præterea quisnam affirmaret grana hordei, & grana tritici inuicem agere & corrumpi, vel farinam triticeam, si terræ mandetur, fructum allaturam? Quis modicum puluerem farinæ triticeę admixtum in ipsam conuerti? Quis peccàti non damnaret admiscentem farinam hordeaceam cum triticea, & vtramque pro triticea vendentem? Hæc autem, & alia absurda ex illo principio consequuntur. Nam si inuicem agere possunt farina triticea & hordeacea, cur non etiam grana ipsa, cùm virtus vnita sit fortior, & similiter inuicem permisceri possint? Numquid scintillæ ignis comburent, & non ardentes prunæ? Nónne videmus tritici grana in aceruo inuicem calefieri? Maiori igitur vi integra grana prædita sunt, quàm farina. Nec obijcias, piper in puluerem redactum magis calefacere; quoniam piper nec integrum, nec contritum, nisi à calore naturali calidum formaliter reddatur, calefacit; contritum tamen faciliùs quàm integrum actuatur. ad patiendum igitur magis adiuuat contritio quàm ad agendum. Si ergo farina hordeacea granis tritici admisceretur, faciliùs triticea euaderet. quod

est

est apertè falsum, & falsissimum ergo erit triticeam fieri, si farinæ triticeę admisceretur. quòd si etiam daremus farinam faciliùs agere, non deberemus aliqualem saltem actionem granis ipsis triticeis in hordeacea denegare: experientia autem omnem omnino negat.

Secundum etiam absurdum clarè sequitur: quoniam, si grana triticea terræ mandata fœcunda sunt, cur non etiam farina idem præstabit, quæ per Aduersarios vi maiori ad generandum pollet, cùm aliam farinam etiam supra terram generet, quod nequeunt efficere grana?

Nec minùs apertè sequitur tertium absurdum: nam puluis subtilior est quàm farina hordeacea, & faciliùs permiscetur, ergo etiam faciliùs transmutabitur. non enim obstare potest ipsum esse elementū purum, quod verti nequeat in mixtum, quoniam etiam aqua est elementū purum, quam tamen in vinum commutari hi auctores asserunt.

Quartum quoque absurdum perspicuum est, quoniam reuera illa tota farina triticea esset. Denique omnia, quæ contra conuersionem aquæ in vinum aliàs attulimus, potiori iure contra hanc alteram fabulosam metamorphosim militant. Et quamuis S. Thomas in 4. distinct. 11. qu. 2. art. 2. quæstiunc. 2. visus sit ei fauere, in tertia tamen parte doctior factus sententiam nostram amplexus est, vt ostendimus.

Nec solùm est amplexus, sed etiam argumentis confirmauit. Horum autem primum est, quòd si aqua simul cum sanguine Christi in calice consecrato remaneret, vt Aduersarijs placet, non totum adoraretur veneratione latriæ; cui ne succumbere videantur Aduersarij, quamuis se discipulos esse D.Thomæ profiteantur, veluti indignabundi occurrunt dicentes, *Quis, obsecro, fidelium vmquam docuit, aut arbitratus est, quidquid est in calice esse eodem modo adorandum?* Ergo S.Thom. è cœtu fidelium ablegandus erit, qui hoc apertissimè docuit, suumque præceptorem optimè de eis meritum ab Ecclesia potiùs, quàm aquam è calice consecrato exturbabunt. atqui, dicunt, si palea sit in calice, non erit adoranda; & verè dicunt, sed non ad causam: palea enim non est ex Ecclesiæ instituto, & commodè distingui potest, non ita verò aqua, à sanguine. Denique argumentum est D. Thomæ, quo ipsorum sententiam impugnat: vel igitur ab hac, vel ab illo est eis discedendum, &, nisi Angelici Doctoris auctoritatem negligant, ipsius argumenti vim paruipendere non possunt.

Cap. 16 pa. 116.

Alterum argumentum habemus etiam ex D.Thom. ad nostram sententiam confirmandam: est autem in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 4. q. 1. ad 2. vbi Aduersariorũ sententiam impugnans, hæc habet verba: *Si aqua in propria natura remane-*

maneret, sic calix consecratus non esset tantùm potus spiritualis, sed etiam corporalis, & ita non liceret post primam sumptionem sanguinis iterum sumere. Cuius etiam argumenti vim infringere conantur, consecutionem eius negantes, quoniam, inquiunt, sumitur illa aqua per viam Sacramenti. Quid est autem sumi per viam Sacraméti? an simul sumi cum Sacramento? si hoc volunt, censebitur ieiunus sacerdos, etiamsi farinam, vel aliquod obsonium simul cum sanguine Christi assumat: quod est absurdum. potiùs ergo, vt etiam ipsa verba magis indicant, sumi per viam Sacramenti, erit sumi per modum Sacramenti, ita vt eius sumptio quodammodo sacramentalis censeatur. At quomodo id quod non est Sacramentum per viam Sacramenti, & tamquam si esset Sacramẽtum sumi potest? Profectò, si tamquam Sacramentum sumi potest, ergo etiam tamquam Sacramentum adorari: quod tamen pro magno inconuenienti meritò reputabat S. Thom. nec ipsi Aduersarij admittebant. quoniam si adesset, aiebant, gutta olei, vel festuca in calice, simul cum sanguine, non propterea adoratione latriæ eas veneraretur Ecclesia: ergo in adoratione non habetur pro Sacramento, neque in sumptione pro eo reputari debet. Deinde quid est sumi per viam Sacramenti, quamuis Sacramentum non sit, nisi physicè non esse Sacramentum, moraliter

Cap. 16. pa. 114.

Cap. 16 pag. 116

liter tamen censeri tale, quia est Sacramento adiuncta? quàm potiori ergo iure dicimus nos aquam esse vinum moraliter, cùm ipsi vino coniuncta sit & incorporata?

Denique auctoritati D. Thomæ nihil respõdent, sed hîc quoque eam dissimulant, erga Præceptorem sanctissimum meritò modesti & officiosi, cuius auctoritatem ignorasse potiùs quàm contempsisse, aut in alium sensum nimis violenter contorsisse videri voluerunt.

CAP. X. ad SECT. VIII.

Theologicæ rationes pro nostra sententia corroborantur.

NON ab auctoritate tantùm, sed etiam à ratione firmissima habet præsidia nostra sententia. Retulimus autem hæc sect. nostra octaua, variasque Aduersariorum euasiones obstruximus; addenda tamen sunt adhuc nonnulla propter quosdam recentissimos auctores qui eadem diluere conati sunt.

Ad primam ergo rationem ex formæ veritate deductam, vt omittam quæ iam alibi impugnata sunt, Respondent pronomen relatiuum, *Hic*, *quod in calicis consecratione profertur, non aliud demonstrare quàm sanguinem sub speciebus vera & idoneæ materiæ contentum (vini scilicet) licet aquæ particulam admixtam habeat.* Verùm

hæc

hæc non explicatio, ſed ipſius formæ calicis euerſio & corruptio dici meretur: nam ſi pronomen *hic* demonſtrat ſanguinem, ergo ſupponit ſanguinem adeſſe: ſi ſanguis iam adeſt, ergo à forma conſecrationis non pendet, ſed antequam ipſa proferatur, eſt præſens: nihil igitur ipſa forma efficit, ſed tantùm ſignificat adeſſe iam ſanguinem. Præterea eſſet forma conſecrationis nugatoria: ſi enim pronomen *hic* ſanguinem demonſtrat, ergo ſupponit pro ſanguine. erit igitur ſenſus huius propoſitionis Sanguis meus, eſt ſanguis meus. qua ratione etiam S. Thomas hanc eamdem explicationem iam refutauerat.

Ad ſecundam noſtram rationem ad illud inconueniens deducentem, quòd verba conſecrationis ſuper materiam incertam, & ſæpè etiam ineptam proferrentur; omnino nihil Aduerſarij reſpondent: non enim hoc pro inconuenienti videntur agnoſcere, cùm verè ſit maximum. Non omittunt tamen recentiſſimi auctores probationem illam ex Eccleſiæ præcepto deductam, quo iubemur aliquando vinum & aquam apponere, & ſtatim verba conſecrationis proferre. Huic inquam occurrunt, dicentes: *Quia ſemper Eccleſia attendit ad integritatem ſacrificij, cùm ſit in vino ſufficiens materia ad veritatem verborum, & quia aqua additur tantùm ratione ſignificationis ex præcepto ſolùm Eccleſiæ; ideo* *Baſil. Ponce* *§. 44. Pag. 45.*

ideo iubet ſtatim ſine mora conſecrari. Sed hæ omnes rationes falſę ſunt,&ad argumẽti vim enernãdam prorſus inefficaces. Quod enim primo loco dicitur, quia Eccleſia attendit ad integritatem ſacrificij, niſi velint aquam ſpectare ad ſacrificij integritatem, non eſt ad rem: ſi enim ſpectare affirment, iam negare non poterunt, eſſe partem integrantem materiæ ſacrificij, & conſequenter in ſanguinem verti, non verò cærimoniæ tantùm cauſa apponi. Item ſi eſt pars integrans, ergo debet in propria ſubſtantia adeſſe; alioqui parte aliqua integrante careret ſacrificium, ſicuti careret homo, cuius brachium humerum ingrederetur, & vnum cum illo fieret, vt argumentatur S.Paulus, *Si totum corpus oculus, vbi ergo manus*? Si negant autem aquam ſpectare ad integritatem ſacrificij, falsò aſſerũt Eccleſiam apponere aquam, quia ſacrificij integritatem attendit. Quod ſecundo loco dicunt, eſſe in vino ſufficientem materiam ad veritatem verborum, ſi vinum ſit ſolum in calice, verum eſt. Sed hinc deducitur potiùs non eſſe apponendam aquam, vt verba conſecrationis ſint vera; ſi verò adſit in calice cum vino etiam aqua, falſum eſt vinum eſſe ſufficientem materiam ad veritatem verborum, quia verba ſignificant totum liquorem qui eſt in calice, eſſe Chriſti ſanguinem. non ergo vera erunt, ſi vinum tantùm, & non etiam aqua

in ſanguinem tranſubſtantietur. Sed eſto hoc ſit verum, non propterea eſſet aquá apponenda, ſed potiùs nihil referret ipſam apponi. Quod etiam ſubijciebatur aquam addi tantùm ratione ſignificationis, & ex præcepto Eccleſiæ, probat potiùs aquæ appoſitionem eſſe prætermittendam, eò quòd neceſſaria non ſit, quam rationem explicet cur Eccleſia apponat, & ſtatim conſecret. Denique addunt curare etiam Eccleſiam, vt quoad fieri poſſit euitetur ſcandalum populi ex defectibus qui in celebratione accidunt. Sed huic quoque ſcandalo meliùs occurreret aquam non apponendo: cur igitur Eccleſia apponat, & ſtatim conſecret, alia ratio reddi non poteſt congruentior, quàm ſpectare aquam ad materiam calicis, non quidem neceſſariam, ſed debitam, nihilque referre quòd in vinum ſit verſa, cùm nihilominus in ſanguinem vertatur. Nolle enim Eccleſiam eius ſubſtantiam ſimul cum ſanguine adeſſe, clarè demonſtrat, cùm præcipit non apponendam aquam, ſi eius defectus poſt conſecrationem calicis deprehendatur: quaſi diceret, cùm iam verti non poſſet in ſanguinem, non decet eam apponi: alioqui enim, ſi verba conſecrationis eam non comprehendũt, nihilq́; circa eam operantur, quid refert ante ipſa vel poſt apponi, cùm in vtroque euentu eodem modo maneat cum ſanguine? Ad tertiam noſtram rationem,

nem, quæ ex necessaria determinatione materiæ desumebatur, nihil Aduersarij respondent, sed nos ex ipsorum dictis eam cōfirmabimus. Nouissimè ergo recentiores, vt sententiam nostram euertant, ita argumentantur: *Ponamus casum, quòd sacerdos ante consecrationem aliquo superno lumine ita illustretur, vt illas minimas aquæ portiones distinctè intueatur; tunc quæro, an talis sacerdos possit habere intentionem consecrandi? si affirmatiuè respondeant, hinc infero, Ergo aqua pura consecrari poterit; quod est hæreticum. si negent, igitur sola humana existimatio habet vim materiam consecrationi ineptam, & non veram, aptam, idoneam ac veram reddendi. quod plusquam falsum est.*

Cap. 11. pag. 58.

Hæc illi. atqui, percunctor ego, cur lumen supernaturale requirunt, vt sacerdos intentionem suam dirigere possit ad minimas aquæ particulas consecrandas, nisi quia alioqui, cùm non sint à vino distinctæ, non possunt sine ipso consecrari? Eadem autem est ratio de vino ac de aqua: si enim hæc non est ab illo distincta, neque illud ab hac distinguetur, consequenter sine lumine supernaturali non poterit absque ea consecrari.

Confirmatur alio exemplo. si sacerdos decem hostias præsentes habens quinque tantùm consecrare intendat, quas Titius designauit se ipso inscio, nullam consecrabit: quia materia quamuis ab altero sit determinata, tamen re-

spectu

ſpectu ipſius ſacerdotis non eſt ſenſibiliter deſignata, nec ipſe poteſt intentionem ſuam dirigere in indeterminatā materiam. ita Suarez diſp.43.ſect.6.& Mart.Bonac. diſp.4. q.2.p.4. n.7. Ergo ſubinfero ego, licet ab aqua ſit verè vinum diſtinctum,& ita ab Angelo cognoſcatur,quia tamen à ſacerdote non poteſt ſenſibiliter determinari ac deſignari ſine aqua admixta, neque conſecrationi aptum erit.

Cæterùm argumentum contra nos ſuprà allatum nullius eſt roboris; quia aqua quocumque modo cognoſcatur à vino diſtincta, numquam abſque eo conſecrari poterit: quia eatenus tantùm conſecrationi eſt apta, quatenus vnum efficit cum vino,& illi admixta cenſetur moraliter vinum. neque hinc fit exiſtimationem humanam reddere aptam vel ineptam materiam, ſed intentionem miniſtri: ſi enim intendat conſecrare aquam ſimul cum vino, Sacramentum conficiet; ſi ſolam, nequaquam: ab intentione autem miniſtri pendere Sacramentorum confectionem, nemini dubium eſſe poteſt.

Ad quartam noſtram rationem nihil Aduerſarij opponunt.

De quinta iam cap. præcedēti verba fecimus: eſt enim ſecundum S. Thomæ argumentum.

De ſexta quoque nihil deprehendi ab eis dictum.

C A-

CAP. XI. ad SECT. IX.

Ex recentiorũ contra nos pugnantium verbis nostra ſententia confirmatur.

VEritatem impugnare, & non ſibimet interdum contradicere, ipſamque veritatem vel inuitum non prodere perarduum eſt. Hunc igitur ſcopulum Aduerſarij noſtri vitare nequiuerunt. quod ſicut ſect. 9. de ijs qui ad manus noſtras tunc peruenerant oſtendimus, ita nunc de recentioribus, qui nouiſſimè contra hanc eamdem noſtram ſententiam calamos direxerunt, demonſtrabimus.

Reuerendiſſimus Pater Hyacinthus Petronius, qui totis viribus conatus eſt hanc noſtram ſententiam euertere, illi tamen multùm imprimis fauit: & omiſſis his quæ diximus ſuprà c. 7. vbi oſtendimus, & philoſophicam, & theologicam noſtræ ſententiæ partem, dum negat aquam reficere & nutrire, ab ipſo comprobari,
Pag. 86 notanda ſunt verba, quæ cap. 13. ſui opuſculi de Neceſſitate preconuerſionis aquæ in vinum in confectione ſanguinis Chriſti, habet: miram enim auctoritatem ſententię noſtrę conciliant, ſunt autem hæc:

Et quidem verum eſt vſque ad illa tempora, (anno ſcilicet ab incarnatione Domini 1188.*) talem*

quæstionem non fuisse agitatam, & ita inauditum fuisse in Ecclesia aquam nullo modo verti in sanguinem, eò quòd aliqui ex falsis principijs Philosophiæ arbitrabantur aquam numquam in vinum conuerti. Hæc ille. ex quibus colligitur ipso teste, per mille & ampliùs annos ita in Ecclesia floruisse sententiam nostram, vt contraria nec verbo tenus fuerit ab aliquo vsurpata. Quid enim volumus nos? aquam semper in sanguinem Christi verti, numquámve simul cum eo permanere; quid, inquit P. Petronius, contrarium inauditum fuisse? nobiscum igitur sentit tota antiquitas. & ne quis diceret hoc sensisse totam antiquitatem, quia censebant verti priùs in vinum, excludit ipse hanc euasionem, & inquit non defuisse qui crederent aquam numquam in vinum verti; imò paulò suprà dixerat, hanc fuisse tunc temporis communissimam opinionem. Communissima ergo erat etiam opinio aquam verti immediatè in sanguinem, imò hoc à nemine vocabatur in dubium: nam si qui erant, qui censerent aquam in vinum verti; hi tamen numquam obiecerunt contraria sentientibus, quòd ex eorum opinione sequeretur, aquam simul cum sanguine Christi in calice remanere. quod vtique obiecissent, nisi credidissent aquam posse immediatè in sanguinem verti, cùm semper illud pro absurdo sit habitum. non obiecisse autem patet, quia *Pag. 86.*

tunc non fuisset inauditum in Ecclesia aquam nullo modo in sanguinem conuerti.

Confirmatur, quia ante hæc tempora, scilicet anno Domini 895. in Concilio Triburiensi can. 19. decretum fuit, vt duæ partes in calice essent vini, & tertia aquæ, vt notat etiam idem auctor cap. 15. quo in casu, nec ipsi Aduersarij audent asserere, potuisse ante consecrationem in vinum aquam verti: ergo de hac conuersione non erant tunc PP. soliciti. atqui ego quæro, vel credebant hi Patres aquam tunc verti in sanguinem, vel non verti existimabant. hoc posterius dici non potest, quia, vt illi asserunt, inauditum fuit in Ecclesia vsque ad annum 1188. aquam non conuerti in sanguinem: dicendum est ergo, sensisse illos omnes Patres aquam immediatè in sanguinem verti; non ergo, vt inquiunt, recens est & inaudita nostra sententia, sed antiquissima, credibileque est tunc fuisse communissimam, cùm eo tempore nemo contrarium scripserit, nemo illis Patribus contradixerit, nemo de minori quantitate aquæ vino admiscenda mentionem fecerit.

At inquiunt, illud Conciliũ per subsequens Florentinum correctum fuit. Resp. Florentinum Concilium id quidem docuisse, quod est melius & congruentius, non tamen Patres Concilij Triburiensis reprehendisse: neque credibile est Ecclesiam Romanam, & Summos Pon-

Pontifices tot annorum centuriis siluisse, erroremque prouinciæ non correxisse, si errasse illos Patres credidisset. Sed demus, illud Concilium errasse in aquæ quantitate decernenda: (nam etiam iuxta nostram sententiam tutius est aquam modicissimam apponere) sufficit nobis ex eo probari tunc temporis viguisse nostram sententiam, cùm de contraria nullum vestigium extet. Cumque Patres, qui circa illa tempora floruerunt, dixerint aquam simul cum vino in sanguinem verti, non possunt de mediata conuersione intelligi, cùm eo tempore aquæ in vinum transmutationem vel impossibilem crederent, vel non curarent.

Neque verò inferas, si Concilij Triburiensis decretum correctum fuit, etiam nostram sententiam fuisse reiectam: non enim habent hæc duo necessariam connexionem; sed illud quidē decretum supponit sententiam nostram, at nostra sententia etiam sine illo decreto consistere potest, imò, vt dicebam, & ipsi Concilio Florentino magis adhæret. cùm ergo PP. illius Triburiensis Concilij in nostra sententia fuerint, & hæc nullibi reprehensa reperiatur, cùm tamen decretum eiusdem Concilij, vt Aduersarij existimant, correctum fuerit, consequitur vtique nostram sententiam approbatam fuisse. Nam, vt aiunt Iuris periti, exceptio firmat regulam, & exclusio vnius est inclusio alterius.

Cùm igitur decreto tantùm derogatum fuerit,& non ſententiæ, hanc confirmatam fuiſſe inferri poteſt. Fruſtra igitur conatur hic auctor antiquitatem & Baronium in ſuam ſententiam pertrahere,cùm ipſe potiùs nolens, inuitus,& reluctans noſtram ſententiam fateri cogatur: ſimilis nauigantibus, qui funibus ad litus religatis, ipſum ad ſe trahere conari videntur, cùm ipſi potiùs ad ipſum in contrarium nitentes trahantur: inſtar enim montis firmiſſima & immobilis ſententiæ noſtræ veritas perſiſtit.

Non prætereundus eſt etiã P. Baſilius Pontius Legionenſis, qui & ipſe diſputationem de aquæ in vinum conuerſione in ſacrificio Miſſę contexuit, & à ſententia noſtra alienus eſt. his autem verbis ſuum exorditur opuſculũ: *Quæſtionem hanc, quæ iſto tempore celebris eſt, & à nonnullis annis defendi in hac noſtra academia cœpit, licèt auditorum animis ab ea longè abhorrentibus, dictaui hoc anno auditoribus meis.* Ex quibus verbis colligi in primis poteſt non inſudaſſe auctorem in hac quæſtione dictanda, nec magno ſtudio illi intendiſſe; alioqui non tam impropriè in ipſo quæſtionis veſtibulo locutus fuiſſet, inquit enim quæſtionem hanc defendi cœptam. at quis vnquam audiuit quæſtionem defendi? Quæſtio diſputatur, definitur: at non defenditur, quoniam indifferens eſt ad vtramque ſententiam, & per eam dubium proponi-

tur,

tur, nihilque in ea affirmatur aut negatur: non indiget ergo defensione, nisi fortè contra aliquem, qui diceret non esse illam quæstionem proponendam,& tamquam inutilem,superuacaneam & perniciosam, à scholis ablegandam. quæ in hac nostra quæstione locum non habet. Nomine igitur quęstionis intelligit hic auctor responsionem, siue sententiam, siue definitionem,in qua aquam in vinum priùs verti asseritur, quàm in sanguinem; & alioqui cum sanguine permixtam remanere, nisi priùs conuertatur in vinum. De hac autem sententia duo hìc affirmat:primum, nouam esse in illa Academia, nam inquit à nonnullis annis tantùm defendi in ea cœptam.Antiquiores igitur,quibus est maior adhibenda fides,nostræ sententiæ adhęrebant;non enim dici potest in ea theologica Academia incognitã fuisse hanc quæstionem, cùm & Innocent. III. & S. Thomas de ea verba fecerint.Deinde asserit auditorum animos longè ab eius sententia abhorruisse. Sed qualesnam erant hi auditores, doctine,an indocti? Si docti, vt par est credere, non est contemnendus eorum sensus, maleque de ea sententia, à qua doctorum animi longè abhorrent,est sentiendum. si indocti,quis eorum animos, vt ab ea sententia longè abhorrerent, impellere potuit, nisi eius improbabilitas & absurditas?quæ adeò magna est,vt vix auribus

percepta horrorem animo incutiat: horrent enim reuera fidelium aures, cùm audiunt aquę substantiam simul cum Christi sanguine in calice adesse, simulque cum eo adorari, & tamquam Sacramentum sumi, vt ex illa opinione habetur. Quod si multis hodie arridet, sophismatibus, & falsis auctoritatibus, quibus tamquam pigmentis, fucis & calamistris ipsius deformitas ab eiusdem sectatoribus obtegitur, est referendum acceptum.

CAP. XII. ad SECT. X.

De aqua in vinum conuersione moraliter intelligenda.

NIHIL est, quod magis Aduersarios nostros torqueat, quàm hæc moralis aquæ in vinum conuersio, per quam dicimus nomine solius vini etiam aquam intelligi: eâ enim omnes neruos sibi pręcidi vident, omnia iacula extorqueri, omnia tela eripi. Quapropter ipsam nos firmissimè multis auctoritatibus & exemplis sect. nostra 11. communiuimus: sed alia nonnulla, quibus eadem magis magisque roborabitur, addere libet, lectori, vt spero, non iniucunda, & nostræ sententiæ, imò veritati, proficua.

S. Ioannes Chrysostomus, in S. Scripturis inter-

interpretandis litteræ tenacissimus, homil. 66. in Genes. somnium Ioseph, & eius interpretationem expendens, quærit, quomodo verum fuerit Ioseph à matre, quæ sub lunæ nomine significabatur, adoratum fuisse, cùm ante ipsius venditionem & profectionem in Ægyptum ipsa iam obiisset? & respondet: *Perpetuus Scripturæ mos est, à magis principali totum significare: quia igitur caput mulieris vir est, cùm adorauerit caput Iacob, manifestum est, quòd corpus totum caput sequatur; si enim pater hoc fecit, multò magis illa* (Rachel) *nisi ex hac vita præepta fuisset, hoc fecisset.* Nota lector illa verba, *Perpetuus Scripturæ mos est à magis principali totum significare:* cùm igitur magis principale in calice Domini sit vinum, sub eius nomine & aqua minùs principalis pars intelligi debet.

S. Ambrosius lib. de Noe cap. 16. explicans verba illa cap. 8. Genes. *Recordatus autem Deus Noë cunctorumq; animantium, & omnium iumentorum quæ erant cum eo in arca*; hæc habet, *Mouentur plerique quæ de causa non dixerit Scriptura, Quòd & vxoris Noë, & filiorum memor fuit Dominus, cùm bestiarum & iumentorum fuerit memor.* Cui dubitationi deinde respondens, inquit, *Cùm dixerit quòd Noë memor fuerit, in auctore & præsule domus, necessitates eius reliquas comprehendit.* Cùm igitur, & in calice vinum præualeat, & aqua ei tamquam viro suo copuletur (signi-

ficat enim Ecclesiam, quæ sponso suo Christo vnitur) ipsius etiam nomine intelligetur.

Sed & in hac materia Sacramentorum, ad hunc sensum moralem sæpè Theologi recurrunt: exempli causa, materiâ & formâ, id est re & verbis, constant Sacramenta; debentque res & verba esse simul & vniri, vt compositum sacramentale conficiant. at hæc vnio quænam erit? physicáne, vel moralis? Vtique moralis: neque enim est necesse, vt eodem prorsus instanti incipiant & desinant, sed licet altera præcedat, & altera sequatur, dummodo tamen moraliter dici possint simul, sufficit. Ita S. Thomas quæst. 60. art. 6. ad 2. Suarez disp. 2. de Sacramentis sect. 2. & alij. Et in hoc eodem Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, etsi requiritur præsentia materiæ transubstantiandæ, & super eam verba consecrationis proferri debeant; hæc omnia tamen morali modo intelligenda sunt: neque enim requiritur, vt sonus verborum materiam consecrandam attingat, vel necesse est vt manibus tangatur; sed satis est, vt morali modo dici possit materia præsens, & de ea pronomē *hoc*, siue *hic* verificetur, vt declarat Suarez disp. 45. sect. 5. Vasquez 3. part. disp. 71. c. 4. & alij cōmuniter.

Non mirum igitur, si neque physica conuersio aquæ in vinum exigitur, sed moralis sufficere asseritur.

Deni-

Denique P.Hyacinthus Petron. respondens cap.15. Patribus qui dicunt vinum aqua mixtum consecrari, & verti in sanguinem Christi, inquit, *sensum eorum esse, vinum aqua mixtum, id est, quod iam in se aquam transmutauit, & quod vinum aqua mistum nominari consueuit, in sanguinem verti.* & cap.17. idem repetens inquit, *illud vinum, in quod aqua versa est, dici communi modo vinum mistum.* Si ergo proprietate verborum relicta ad loquendi consuetudinem illi recurrere licet, cur à nobis idem præstari indignatur? præcipuè cùm plures habeamus nos hac in re duces & patronos, ipse verò multos aduersarios, & in primis Aristotelē, qui negat id quod in alterum vertitur, dici posse illi commisceri. nec illi cōmunis loquendi vsus astipulatur, vt nobis, sed potiùs refragatur: quoniam, vt etiam Aristoteles notat, non dicuntur ligna commisceri igni, nec alimentum nutrito. Pa.102

Præterea dum opusculum suum hoc titulo, *De necessitate præconuersionis aquæ in vinū in confectione Sacramenti sanguinis Christi*, insigniuit, non video, quo in sensu, nisi intelligat de morali conuersione, rectè accipi possit. Cùm enim duplex occurrere possit necessitas in Sacramētorum confectione; altera, quæ Sacramenti dicitur; altera, quæ præcepti; quæro de quanam necessitate ipse loquatur. De necessitate Sacramenti? atqui si aqua ipsa non est simplici-

ter necessaria, quomodo erit eius conuersio? Præterea si hoc admittatur, dicendum quoque erit irritum esse Sacramentum, quotiescumque aqua non est in vinum conuersa, quod esset magnum absurdum: semper enim de Sacramenti veritate incerti essemus, cùm de antecedenti aquæ in vinum conuersione constare nobis nequeat.

Dicet fortè, se loqui de necessitate præcepti? At vbi reperitur hoc præceptum? cumque hoc ex vini qualitate & viribus pendeat, quomodo id nobis præcipitur quod in nostra non est potestate? Dices, præcipi, vt ea quantitate & modo aqua apponatur, vt verti possit in vinum. sed & hoc falsò dicitur; de quantitate enim adest quidem præceptum, sed de alijs circumstantiis non minùs ad hanc conuersionem necessarijs, ne verbum quidem: imò Ecclesia præcipit, vt aqua interdum apponatur, & statim consecrationis verba proferantur. tunc autem certum est non posse aquam in vinum præconuerti; vbi est ergo hæc necessitas? Denique ipsemet, vt argumentorum nostrorum vim effugiat, nónne fatetur nullum esse inconueniens aquam in calice remanere aquam?
Pa. 121 Verba eius sunt cap. 17. *Absque vllo scrupulo concedendum est, in talibus casibus aquam remanere aquam: ex quo nullum sequitur inconueniens.* Si nullum ergo sequitur inconueniens, ex eo quòd aqua

qua non sit præcõuersa in vinum, vt quid adeò necessariam hanc præconuersionem clamitat?

Verùm intelligatur hæc præconuersio moraliter, & omnia præclarè cum veritate & ritibus S.R.E. conuenient: hæc enim conuersio tempore non indiget, sed statim atque aqua est vino commista, dummodo sit in parua quantitate, in ipsum conuersa censetur. quòd si in tanta quantitate apponatur, vt in ipsum conuersa dici nequeat, iam nec aqua nec vinum erunt apta consecrationis materia: non aqua, quia non moraliter vinum; non vinum, quia ab aqua non distinctum, & moraliter corruptum. Quare optimè Innocent. lib. 4. de Sacrificio Missæ, aliàs etiam citatus, asserebat oportere vt aqua saporem vini retineat, vt non sit irritum Sacramentum. quod est idem, ac dicere, oportere vt aqua sit in vinum conuersa moraliter.

Adhuc tamen alij consurgunt contra hanc nostram conuersionem moralem, dicentes: *Magis propriè nomine vini vinum merum significatur, quàm lymphatum: imò cùm Concilia vini tantùm meminerint, dum assignant materiam calicis, intelligenda sunt de vino in magis consueta & propria significatione, & non de vino vsuali.* Sed facilis est responsio. Primò enim falsum est, vini tantùm Concilia meminisse, & non aquæ, vt nostra sect. 4. ostendimus. Præterea quamuis

Pontius §. 18. pag. 13.

uis hoc verum esset, tamen ob auctoritates Patrum, quibus non est credendum voluisse contradicere Concilia, de vino aqua misto essent intelligenda. At inquiunt, PP. intelligi possunt de conuersione aquæ mediata. Sed & nos in nostra disput. sect. 6. ostendimus hoc pacto intelligi non posse. & esto ita intelligi possint, negare nequeūt, sensum magis proprium esse, si de immediata conuersione intelligatur: sicuti cùm dicitur Dauid genuisse Salomonē, sensus proprius & verus est genuisse eum immediatè, & non mediatè. & nisi in contrarium adsit ratio conuincēs, ita intelligendum erit. Aduersariorum igitur argumētum retorquentes, cùm simpliciter Patres & Concilia dicant aquam verti in sanguinem, consecrari & offerri, rectè colligimus hæc in sensu immediato debere intelligi, & non mediato. At inquiunt de humano corpore dixit Deus, *Terra es, & in terram ibis*: cùm tamen non sit immediatè terra, sed ex terra formatus. Resp. hominem dici terram, quia & ex terra corpus eius fuit immediatè formatum, & ex elementis terra in ipso prædominatur: & in terram reuersurum dicitur, quia reuera corpus humanum in terram resoluetur, & non in aliquid aliud, saltem manifestè, & quoad omnes partes. quare hæc auctoritas nobis potiùs fauet.

Basil. Ponce §. 42. pag. 43.

Præterea obijciunt, Vera est hæc propositio, Hu-

quæstionem non fuisse agitatam, & ita inauditum fuisse in Ecclesia aquam nullo modo verti in sanguinem, eò quòd aliqui ex falsis principijs Philosophiæ arbitrabantur aquam numquam in vinum conuerti. Hæc ille. ex quibus colligitur ipso teste, per mille & ampliùs annos ita in Ecclesia floruisse sententiam nostram, vt contraria nec verbo tenus fuerit ab aliquo vsurpata. Quid enim volumus nos? aquam semper in sanguinem Christi verti, numquámve simul cum eo permanere; quid, inquit P. Petronius, contrarium inauditum fuisse? nobiscum igitur sentit tota antiquitas. & ne quis diceret hoc sensisse totam antiquitatem, quia censebant verti priùs in vinum, excludit ipse hanc euasionem, & inquit non defuisse qui crederent aquam numquam in vinum verti; imò paulò suprà dixerat, hanc fuisse tunc temporis communissimam opinionem. Communissima ergo erat etiam opinio aquam verti immediatè in sanguinem, imò hoc à nemine vocabatur in dubium: nam si qui erant, qui censerent aquam in vinum verti; hi tamen numquam obiecerunt contraria sentientibus, quòd ex eorum opinione sequeretur, aquam simul cum sanguine Christi in calice remanere. quod vtique obiecissent, nisi credidissent aquam posse immediatè in sanguinem verti, cùm semper illud pro absurdo sit habitum. non obiecisse autem patet, quia *Pag. 86.*

cum vino incorporari, & efficere cum eo vnum. quæ indicant potiùs conuerſionem moralem, quàm phyſicam & ſubſtantialem.

Doctores quoque Conimbricenſes inter Aduerſarios noſtros à Neotericis recenſentur, qui tamen apertis verbis eorum ſententiam aúerſantur: inquiunt enim primo de Gen.ca.10. quæſt. 2. art. 3. *Quòd verò admittendum non ſit, conuerſo vino in ſanguinem manere nihilominus aquam in calice, cõuincit tum communis Scholaſtica Theologiæ Profeſſorum auctoritas, tum quia, vt argumentantur S.Thomas & Sotus, ſequeretur non eſſe adorandum quidquid latet ſub ſpeciebus in calice contentis*. Quare qui expreſsè Aduerſariorum ſententiam docuerint, admodum pauci ſunt, & hi ex recentioribus, & ex ipſis qui aliorum dicta referentes, alterius potiùs iudicio acquieſcunt quàm ſuo.

CAP. XIV. ad SECT. XII.

Aduerſariorum rationes nullius roboris oſtenduntur.

EX dictis ſect. 12. noſtræ diſp. omnia Aduerſariorum argumenta contra noſtram ſententiam, vel attrita ſunt, vel atteri facilè poſſunt: clarioris tamen doctrinæ gratia, quæ recentiores verbis diuerſa, licet ſenſu eadem ac

illa

illa quæ ibidem soluta sunt, hîc proponunt, denuo diluentur.

Cap. 3. pag. 9. Potissima ergo, vt ipsi inquiunt, & fundamentalis ratio eorum sententiæ, hæc est: *Illud tantùm immediatè conuertitur in sanguinem Christi, quod est propria & idonea materia ab ipso Christo ad confectionem huius Sacramenti sanguinis statuta, & ab ipso in vltima cœna tradita & consecrata: sed aqua nullo modo est materia in tali confectione, ergo non potest aqua immediatè in sanguinem Christi conuerti.* Sed nullo negotio soluitur hæc ratio, quam recentiores demonstratiuam appellant: dicimus enim aquam à vino seiunctam vtique non esse sanguinis materiam, sed vino mistam, & eidem incorporatam, materiam esse: nam & Christus, vt inquit Concilium Florent. in vino aqua misto Sacramentum sanguinis sui constituit.

Secundò argumentantur, *Si aqua mista vino vt sic, esset tota vera materia confectionis sanguinis Christi, & transubstantiaretur vt sic immediatè in sanguinem, sequeretur triplicem fore materiam Sacramenti Eucharistiæ, panem scilicet, vinum & aquam.* Resp. vt sæpiùs dictum est, aquam non esse materiam distinctam à vino, quia non conuertitur in sanguinem, nisi vt mista vino, & vnum quid cum eo faciens.

Petron. pag. 36. Tertiò, *Illa est materia, quæ est de necessitate Sacramenti: sed aqua non est de necessitate Sacramenti,*

menti, igitur. Resp. falsam esse maiorem. Nam, & in Sacramento Pœnitentię peccata venialia esse possunt eius materia, neque tamen sunt de necessitate Sacramenti. Præterea si vera esset illa maior, vana esset distinctio, quam & ipsi recentiores approbant, de duplici necessitate, Sacramenti & præcepti: quia quod non est de necessitate Sacramenti, nullo modo spectaret ad materiam, & tota necessitas præcepti versaretur tantùm circa circumstantias, non verò circa materiam.

Quartò, *Illa est materia, quam potuerunt Apostoli potestate à Christo Domino accepta transubstantiare in sanguinem eius. Sed Christus Dominus non dedit potestatem transubstantiandi aquam in suum sanguinem: ergo*, &c. Probant minorem, *Christus Dominus solùm dedit potestatē consecrandi id quod præcepit apponi. Cùm ergo verum sit Christum Dominum non præcepisse aquam tamquam materiam apponi, non dedit etiam potestatem eam conuertendi.* Resp. non solùm non esse certum, non fuisse hoc à Christo Domino præceptum, sed contrarium etiam esse probabilius, vt ex nostra sect. 12. constat. sed dato etiam non præcepisse, negatur consequentia; quia potest aliquid esse materia congrua, & non necessaria, & talis est aqua vino mista. *Pag.37*

Quintò, *Demus casum, quòd parum ac modicum panis hordeacei sit admistum pani triticeo, adeò vt* *pag.41.*

Z *talis*

talis panis hordeaceus maneat in sua specie: talis panis numquam transubstantiatur in corpus Christi: ergo idem dicendum de aqua. Resp. claudicare similitudinem, Primò, quia panis hordeaceus non admiscetur ex institutione Christi. Secundò, quia panis hordeaceus supponitur clarè cognosci vt distinctus à triticeo. quod de aqua mista vino dici nequit. sed de hoc argumento vide plura in nostra sect. 7.

Petron. cap 8. pag. 43. Sextò, *Aqua quæ moraliter est vinum, est physicè aqua: sed hanc esse calicis materiam est contra Concilia, præcipuè Tridentinum, ergo,* &c. Resp. sæpè iam dictum & probatum à nobis fuisse, vt vertatur aqua in sanguinem, satis esse quòd sit moraliter vinum, quidquid sit de eius physica substantia; Concilium autem Tridentinum, sicuti & Florentinum, nobis fauere suprà ostendimus: quare non est hîc opus alia responsione.

Pag. 44 Septimò, *Panis hordeaceus, qui moraliter triticeus esset, non posset verti in Christi corpus, ergo nec aqua quæ sit moraliter vinum.* Resp. & antecedens, & consequentiam esse falsam, vt ex iis, quæ suprà cit. sect. 7. diximus, constat.

Pag. 45 Octauò, *Si sumatur phiala aqua plena, eique exiguum quid generosi vini superinfundatur, iam ille liquor consecrari posset, secundùm oppositam opinionem.* Resp. patere ad hoc responsionem ex Innocent. Sum. Pont. qui, vt suprà retulimus, inquit,

inquit, dummodo aqua saporem vini retineat, etiamsi in quantitate præualeat, non esse irritum Sacramentum: si tamen in multò maiori quantitate esset aqua quàm vinum, non est credibile ipsam vini saporem retenturam, nec appellandam vinum moraliter.

Nonò, *Otiosum esset præceptum de modicissima aqua, si non esset hac conuertenda substantialiter in vinum.* Sed quàm otiosum, siue potiùs vitiosum sit hoc argumentum, patet ex ijs quæ diximus cap.4.& sect.4. *Pag46.*

Decimò, nonnulla etiam absurda conantur ex nostra sentent. deducere. sed quoniam nullo pacto ab his, quæ nos in nostra disp. iam retulimus & diluimus, differunt, ne lectorem tædio sine causa afficiamus, omitto. *Cap.11.*

Vndecimò, alij quidem Neoterici ex Ecclesiæ ritibus ita contra nos argumentantur: *Si quis omiserit per obliuionem infusionem aquæ in calicem, etiamsi ante sumptionē calicis huius omissionis recordetur, non iubetur ante sumptionem repetere, & apponere alias species, & illas consecrare, vt suppleatur defectus aquæ, sicut præcipitur fieri in aliis defectibus occurrentibus: ergo signum est numquam Ecclesiam iudicasse aquæ infusionem cum vino ad materiam spectare. cùm enim in alicuius Sacramenti confectione defuit aliqua materia, etiam integralis, suppleri iussit quod omissum fuerat: sic enim in cap. 1. de Sacramentis non iterandis, cùm in vnctio-* *Basil. Ponce §.25. pag.23.*

vnctione, quæ est materia proxima Confirmationis defuisset balsamum, & solùm facta esset cum oleo, iußit Pontifex suppleri cautè, quod incautè fuerat prætermissum. Resp. frustra huius Ecclesiastici ritus rationem venari Aduersarios, cùm ex ipsa Ritualis rubrica clarè habeatur: est autem, non quia ad materiam non spectet aqua; imò in capite de materiæ defectibus ponitur hæc aquæ omissio. sed quoniam, inquit, non est de necessitate Sacramenti; sicuti infrà agens de formæ defectibus inquit, Si aliqua verba ex his quæ in consecratione communiter dicuntur, omisit, si non sint de necessitate Sacramenti, non resumat. Quare tantum abest, vt hinc aliquid contra nostram sententiam colligatur, vt inde potiùs non parum roboris acquirat. Notandum est enim duo rerum genera esse, quæ si omissa fuerint in Sacramentorum confectione, repeti iubentur: alterum est cærimoniarũ quæ neque ad materiam, neque ad formam spectant; sic in Baptismo; si absque solemnitate, & Ecclesiasticis cærimonijs sit collatus, iubentur suppleri cærimoniæ omissæ. Alterum genus est earum rerum, quæ sunt de necessitate Sacramẽti: hæc enim si omittantur, præcipitur denuo Sacramentum confici, quia priùs irritum fuit. Aquæ autem appositio medio modo se habet inter hæc duo extrema, quia non est simplex cærimonia, nec est de necessitate Sacramẽti: & ideo non

non præcipitur suppleri, si omissa fuit, post consecrationem, sed tantùm ante, quia adhuc fungi potest munere materiæ: si autem cærimoniæ tantùm causa adhiberetur, nullumque esset inconueniens simul cum sanguine in propria substantia permanere, vt Aduersarij arbitrantur, nulla esset ratio cur etiam post consecrationem non apponeretur.

Exemplum autem de balsamo non est ad rem: quia vel est de Sacramenti necessitate, vt multi existimant, & sic nil mirum repeti, & Sacramentum iterari, quia priùs collatum irritum fuit: vel est tantùm cærimonia, & ita suppletur, sicuti etiam supplentur cærimoniæ quæ in Baptismo adhiberi solent.

Duodecimò obiiciunt: *Eadem ratio est de aqua qua in dolio sit vino mista, & de ea qua calici apponitur: sed illa non vertitur in sanguinem; est enim necessaria conditio à vobis requisita, vt calici iniiciatur, ergo nulla conuertitur.* Resp. ex nostræ sententiæ sectatoribus, quod ego sciam, neminem vmquam affirmasse aquam in dolio vino admistam in sanguinem non verti: si enim & ipsa sit vinum moraliter, nulla est ratio cur conuerti non debeat, & multæ ex nostris rationibus id etiam conuincunt; quamuis de aqua calici infusa sit maior ratio, eò quòd non est ibi præter intentionem Ecclesiæ & sacerdotis, sicut ea quæ admiscetur in dolio. sed non est

Basil. cap 133 pag. 32.

 no-

nouum Aduersarios id nobis tribuere, quod numquam somniauimus.

CAP. XV. ad eamdem SECT.

Nostræ ne, an Aduersariorum sententiæ sit in praxi adhærendum.

PRacticè omnino obseruandam eorum doctrinam, tamquam Ecclesiæ Catholicæ regulam infallibilem, ex Aduersariis nostris nonnulli præcipiunt, fasque non esse sine magno conscientiæ, &, si eis liceat, etiam capitis periculo ab ea discedere docent. Qua in re, sicut etiam in cæteris, magnopere falluntur, cùm Ecclesiæ Romanæ praxis nostræ sententiæ, non autem ipsorum placitis sit maximè consentanea. Quod vt clariùs constet, Notandum est, duplex tempus quoad praxim tum in nostra, tum illorum sententia deduci posse; alterum est ante consecrationem, alterum verò post.

Quo ad tempus ante consecrationem, differunt nostra & Aduersariorum sententia, non in quantitate aquæ apponenda: quia hanc modicissimam esse debere, & illi & nos arbitramur, quamuis ob diuersas rationes; illi non ob aliam, quàm, vt in vinum conuertatur, nos vt veriùs ac perfectiùs absorbeatur à vino moraliter, & ob significationes mysticas. in quo ergo differimus? in eo quòd ipsi volunt aquam ita apponendam, vt physicè in vinum conuertatur,

nos

nos de hac conuersione soliciti non sumus. Si ergo constabit Ecclesiam Romanam aquam apponere, quam certò sciat non esse in vinum ante consecrationem physicè conuertendam, neque de hac præconuersione esse vllo pacto solicitam, nostram sententiam sequi nulli dubium esse poterit. Est autem illud clarissimum: nam, vt sæpiùs iam notauimus, iubet Ecclesia apponi interdum aquam, & statim consecrationis verba proferri. quo in casu aquam in vinum non conuerti, & ipsi Aduersarij fatentur. cui ergo non pateat, Ecclesiæ praxim nostræ sententiæ esse consentaneam, qui aquam non necessariò in vinum præconuerti asserimus; non verò Aduersariorum, qui pro huius præconuersionis necessitate tamquam pro aris & focis depugnant? Præterea si Ecclesiæ cordi esset hæc aquæ præconuersio, præciperet quoque reliqua quæ ad eam iuxta Aduersariorum sententiam sunt necessaria, nimirum, vt vinum esset generosum, vt in magna quantitate apponeretur, vt ab ambiente frigidissimo custodiretur, vt post aquæ appositionem tamdiu consecratio differretur quoad in vinum aqua esset conuersa. & id genus alia; quorum nihil præcipit Ecclesia: ergo non iuxta oppositam nobis sententiam operatur, sed ac si in mundo non esset, eam non attendit, nec de ea vllam rationem habet.

Cap. 17 pag. 123 Hinc patet, quàm falsò dixerint iidem recentiores nullam aliam rationem afferri posse, cur magis ponatur in calice vinum aqua mistum tempore offertorij potiùs quàm introitus, vel ante consecrationem, nisi, vt commodè conuersio aquæ in vinum fieri posset, cùm de hac conuersione ne cogitet quidem Ecclesia. Præterea, numquid, quia & panis in patena ante Missam apponitur, est aliquid in ipsum conuertendum? Numquid si ante introitum calici infunderentur vinum & aqua, sicuti in patena collocatur hostia, non commodiùs aqua verteretur in vinum? Somniarunt igitur ipsi hanc rationem, veramque non viderunt, quam nos attulimus sect. 11. vt scilicet per quãdam extrinsecam sanctificationem & benedictionem vtraque materiæ pars prępararetur, & hoc modo ad tam magnum quo fungi debet, munus disponeretur: sicuti etiam, & calix cum patena consecrantur, & vestes sacerdotales quæ in eodem sacrificio deseruire debent, benedicuntur.

Sed ad tempus post consecrationem transeamus, in quo non minùs iuxta nostram sententiam se gerit Ecclesia, pro nihilo ducens Aduersariorum figmenta. Quid enim comminiscuntur Aduersarij? aquam, si tempore consecrationis non sit versa in vinum, remanere in sua substantia simul cum sanguine. Quid nos?

cum

cum Patribus, & omni antiquitate ſentimus, totum quod eſt in calice, poſt conſecrationem eſſe Chriſti ſanguinem. Quomodo autem ſe gerit Eccleſia? teſte S. Thoma, totum quod eſt in calice tamquam Chriſti ſanguinem adoratione latriæ veneratur, cenſetque poſt illius ſumptionem ſacerdotem eſſe ieiunum, & poſſe denuo, ſi aliunde non impediatur, conſecrare; ac, ſi è calice gutta effluat, eam diligentiam, quæ ſanguinem Chriſti decet, circa eam adhiberi præcipit. Quæ omnia in ſent. Aduerſariorum magnam habent difficultatem, & qui iuxta eius principia vellet ſe gerere, in multis oporteret eum ritibus Eccleſiæ aduerſari. Noſtra igitur ſententia ſola eſt ab Eccleſia approbata, & in praxi vſurpata; altera autem Aduerſariorum reiecta, nihilique habita. ac proinde Catechiſmum & Sacerdotale Romanum, quæ videntur approbare, vel requirere conuerſionem aquæ in vinum in ſacrificio Miſſæ, de morali conuerſione intelligi debent; alioqui etiam contra Aduerſarios militarent, qui aliquando non eſſe ſubſtantialiter aquam in vinum conuerſam fateri coguntur. Quamquam Neoterici, vt ſuam poſitionem quoquo modo tueantur, dicere non verentur nullum eſſe inconueniens, nihilque referre quòd aquæ ſubſtantia ſimul cum ſanguine remaneat: ſed Proteum, qui, vt è manibus ſe tenentium elabere-

 tur,

tur, in varias se vertebat formas, imitari mihi videntur. vt enim argumentorum nostrorum vim effugiant, multiplices diuersasque assumunt facies: modò enim clamitant pernecessarium esse, Conciliaque & Ecclesiam in eam maximè curam incubuisse, vt aqua in vinum ante consecrationem vertatur; modò, quòd eadem in vinum transmutetur, nihil referre asseuerant; modò inauditum fuisse in Ecclesia aquam in sanguinem non verti, omnesq; Patres simul cum Ecclesia Romana docere ipsam in sanguinem transsubstantiari fatentur; modò Ecclesiam id præcipere, ex quo aquam in sanguinem non verti sit necesse, neque de hoc ipsam esse sollicitam affirmant: modò intelligi aliquid moraliter pro magno absurdo habent; modò ad eumdem sensum moralem ipsi confugiunt: nunc S. Thomam pro se allegant; nunc eiusdem dicta & rationes impugnant: modò accidentia aquæ simul cum accidentibus vini post consecrationem remanere pati nequeunt; modò non solùm aquæ accidentia, sed & ipsius substantiam simul cum vini accidentibus permanere iubent: modò aquam simul cum sanguine adorari contra religionem esse volunt; modò ipsam cum sanguine sumi, contra ieiunium esse nolunt: modò eamdem aquam simul cum sanguine Sacramenti rationem inducere, & per viam Sacramenti sumi

asse-

asserunt; modò simul cum Sacramenti materia rationem materiæ inducere, & per modum vini simul cum eo in sanguinem transmutari pernegant: denique nunc sententiam, quæ aquam simul cum sanguine remanere asserit, vt temerariam damnant; nunc in eamdem ipsi relabentes nihil absurdi continere dicunt.

CAP. XVI. ad SECT. XI.

Non posse à vino in suam ipsius substantiam aquam verti auctoritate comprobatur.

HAnc eamdem conclusionem theologicis rationibus sect. 10. nostræ disputationis communiuimus, & philosophicis argumentis ab auctoritate, ab experientiâ, & à ratione deductis lib. 1. de Gen. disp. 5 i. corroborauimus. Nunc summatim hæc posteriora erunt hîc perstringenda & Aduersariorũ responsiones profligandæ.

In primis autem Aristotelis auctoritate ex multis eius locis collectâ vsi sumus. Primus locus est cap. 23. suæ poeticæ, vbi inquit mistum ex aqua & vino impropriè à Poëtis vocari vinum, sed excusandos in hoc Poëtas, quia communem loquendi consuetudinem sequuntur. Censet igitur Aristoteles, & aquam vino mistam non esse in vinum conuersam (quia tunc pro-

propriè totum miſtum diceretur vinum) & adhuc moraliter appellari vinum. quod vtrumque mirum in modum noſtræ ſententiæ congruit.

Reſpondent Aduerſarij Ariſtotelem loqui manifeſtè de vino temperato, quod magnam quantitatem aquæ in ſe continet. Verùm hoc ex nullis Ariſtot. verbis colligunt: niſi ergo cor eius introſpexerint, non potuit illis hoc eſſe manifeſtum. Præterea falſam eſſe huiuſmodi interpretationem probatur: quoniam illud miſtum ſolet vinum ſimpliciter appellari, in quo aqua non præualet, ſed remanet vini qualitatibus affecta, & eius ſaporem & colorem induit. ſi ergo vinum poſſet aquam in ſe conuertere, hanc vtique conuerteret: atqui ſupponit Ariſtot. adhuc remanere aquam, ergo cenſet non eſſe vinum hac virtute præditum. Ad hæc varij ſunt hominum mores, nec omnes eamdem aquæ quantitatem vino infundunt, ſed alij maiorem, alij minorem; & tamen indefinitè loquitur Ariſtoteles, & vinum temperatum inquit non eſſe ſimpliciter vinum: ergo verè ſentit aquam in vinum numquam verti. Denique eodē pacto loquuntur Patres, præſertim Græci, dum dicunt miſtum ex aqua & vino eſſe materiam ſanguinis Chriſti, & nonnulli etiam eodem verbo quo vſus eſt Ariſtoteles vtuntur, vt ſect. 11. notauimus. Ergo idem de Ariſtot. miſto,

misto, & SS.PP. est dicendum; cumque in eo de quo loquitur Aristot. non sit aqua in vinum versa, neque de eo de quo Patres loquuntur, id erit affirmandum.

Secundus locus efficacissimè sententiã nostram probans, est in 2. de Gen. tex. 50. & cap 5. de Sensu & sensili, vbi negat aquam nutrire, quia omnia ijs nutriuntur, ex quibus constant. Loquitur autem de nutritione latissimè sumpta, quia inquit ex corporibus simplicibus solum ignem nutriri qualis esset conuersio aquæ in vinum, si daretur. & eius ratio æquè de vino, ac de viuentibus probat, quia & vinum ex quatuor elementis constat. Huic argumento ita respondent Aduersarij: *Verum quidem est puram aquam non nutrire, Aristotelémque sumere nutritionem latissimè, cùm loquitur de nutritione plantarum: nutritio verò latissimè accepta est nutritio cuiuscumque rei viuentis; nutritio autem strictè accepta, est solùm nutritio rei viuentis sensibilis: at res non viuentes, cùm conuertunt alias res in se, non dicuntur, neque latissimè nutrire: sicut v. g. aër conuertit aquam in se, & è conuerso, & tamen aër siue aqua nullo modo, neque latissimè dicitur nutriri. Aristot. autem non potest ita intelligi, quòd aqua nullam rem non viuentem nutriat, si nutritio sumatur impropriè pro conuersione vnius rei non viuentis in aliam rem non viuentem; quia pura aqua, vt experientia constat, conuertitur in aërem.* Sed hæc Petron. cap. 18. pa. 179

nullo

nullo negotio refellentur. Quod enim primo loco inquiunt nutritionem latiſſimè ſumptam plantis & viuentibus competere, ſtrictè verò rei viuenti ſenſibili, ſi Ariſtot. verba & nutritionis naturam conſideraſſent, numquam certè protuliſſent. Nam Ariſtoteles ibidem expreſſis verbis inquit ignem nutriri, non ergo in nutritione latiſſimè ſumpta viuentia tantùm cõprehendit. Præterea nutritio primò & per ſe viuentibus conuenit, & eatenus tantùm ſentientibus, quatenus ſunt viuentia: magis igitur propriè conuenit nutritio viuentibus, quàm ſentientibus. neque eſt diſtinguendum inter nutritionem viuentium & ſentientium, cùm in vtriſque ſit eiuſdem animæ vegetantis proprietas. Sicut ergo ineptè quis diceret, ſenſus latiſſimè conuenire animantibus, & ſtrictè hominibus, cùm hominibus, vt animalia ſunt, conueniant: ita prorſus inconſideratè dictum eſt, nutritionem magis ſtrictè ſentientibus tribui, quàm viuentibus. Cùm ergo fateantur Ariſtotelem de nutritione latiſſimè ſumpta locutum, non poſſunt ab ea aquæ conuerſionem in vinum excludere. Præterea ratio Ariſtotelis id ipſum probat: inquit enim omnia nutriri ex quibus conſtant: ſi ergo non poteſt elementum ſimplex in viuens verti, quia viuens ex quatuor elementis conſtat; eadem ratione, neque in vinum, quod æquè ex iiſdem quatuor ele-

men-

mentis conflatum eſt, verti poterit. Confirmatur Primò, quia ſi vinum ex aqua tantùm fieret, iam ex quatuor elementis non conſtaret, non eſſet ergo miſtum. quod à veritate, ratione & experientia eſt alieniſſimum. Confirmatur Secundò, quia nutritio eſt quædam partialis generatio: ſi ergo per nutritionem non poteſt ex puro elemento aliquod miſtum gigni, neque per generationem poterit produci. Denique vitis non poteſt aquam in ſuam ſubſtantiam, vel ſuccum conuertere: ergo multò minùs vinum, quod ab aqua remotius, & minori vi præditum eſt. Occurrunt hìc Aduerſarij aquã in vinum verti, quatenus ſunt liquida miſcibilia, in quibus quod minimum eſt, vertitur in aliud maius: vitis autem non eſt liquida, nec habet vim conuertendi aquam puram. Sed hæc ratio facilè excluditur. Nam quoties liquor peruadit corpus ſolidum, longè faciliùs ab eo vertitur, quàm ab alio liquido. Et ratio eſt, tum quia ſolidum maiori pollet vi ad agendum, & cum liquido maiorem habet contrarietatem: tum quia liquor ipſe, & in minimas particulas diuiditur, & minùs in illud poteſt agere. Aqua igitur, quæ vitis lignum permeat, faciliùs in eius ſuccum permutabitur, quàm in vinum. Quòd etiam hanc virtutem omnibus liquoribus qui inuicem permiſcentur, largiuntur, nimia liberalitas eſt: ſequeretur enim, vt alia omittam,

mittam, liquidum plumbum aut ſtannum auro liquido infuſum in ipſum verti. quod nec artis chymicæ profeſſores promittere audebunt. Nec occurrant, hæc metalla non ita inuicem permiſceri, vt vinum & aqua, quoniam experientia oppoſitum oſtendit, cùm ex huiuſmodi permiſtionibus nummi conflentur, in quibus nulla diuerſitas metallorum apparet.

Exemplum quod Aduerſarij afferunt de aëre in aquam conuerſo, & è contra, non eſt ad rem; quia huiuſmodi conuerſio, nec latiſſimè eſt nutritio, & elementum ſimplex ex ſimplici fit, non autē miſtum ex ſimplici. Si quæras autem cur hæc conuerſio aquæ in aërem non dicatur nutritio; Reſp. quia non eſt aër qui propria virtute aquam in ſe vertat, ſed ſol, vel calor ignis, qui vapores ab aqua eleuat. & in aërem tranſmutat; neque aër inde ſenſibiliter apparet fieri maior, aut huiuſmodi tranſmutatione ad ſui conſeruationem indigere. & idem dici poteſt de aqua: alioqui enim non ſe mutuo interimere aërem & aquam, ex eo patet. quia in phiala aquæ & aëris plena nulla huiuſmodi tranſmutatio intercedit.

Tertius locus eſt in 1. de Gen. tex. 34. vbi quærens quid ſit illud quod augetur, an ſcilicet cui additur aliquid, an verò illud quod additur, inter alia, inquit: *Quare igitur non ambo aucta ſunt? maius enim, & quod, & cui, quemadmodum quan-*

quando miſcemus aquæ vinum, ſimiliter enim plus vtrumque. An quoniam huius quidem manet ſubſtantia, huius autem non? vt ea quæ nutriuntur, quando, & ibi, quod euincit & ſuperat in ipſa miſtione augeri dicitur, ſcilicet vinum: nam vniuerſa miſtura vini non aquæ functionem exercet.

Ex quibus multipliciter colligitur aquã non cõuerti in vinum. Primò, quoniã alioqui non eſſet aptum exemplum: ſi enim aqua in vinum verè mutaretur, omnino eadem eſſet ratio de aqua & de nutrimento, quare declararetur, vel probaretur, idem per idem; ſi autem non conuertitur, rectè ex vno declaratur alterum. Secundò, non inquit Ariſtoteles vinum augere, ſed ait augeri dicitur: ſciebat enim verè non augeri, licet ſecundùm communem loquendi modum augeri dicatur. Tertiò, quoniam inquit vniuerſam miſturam vini functionem exercere; non appellaretur autem miſtura, nec diceretur vini functionem exercere, ſi totum eſſet vinum: non enim dicitur quis exercere functionem ſui ipſius, ſed ſuam. At opponunt Aduerſarij, ait Ariſtoteles vinum ſuperare & vincere aquam, ergo in ſe eam conuertit. Imò ſubijcio ego, Ergo non corrumpit, quia diceretur iugulare vel corrumpere, non vincere: dicitur ergo vinum vincere, quia eius accidentia magis ſentiuntur, quàm aquæ, cùm & hæc adſint.

addunt appellari misturam, non quia ex duobus liquoribus constet, sed quia ex duobus genitum est. Sed facilè hoc refellitur, quia sic verum esset omne vinũ dici posse misturam, cùm ex elementis omnibus sit productum. Præterea non sine ratione dixit Aristoteles *vniuersam*, vt & aquam includeret. Tertiò, negat hîc Aristoteles, vt etiam suprà notauimus, quod in aliud vertitur illi commisceri: non ergo in eodem capite sibimet contrarium esse credendum est: maluit quoque dicere misturam potiùs, quàm mistum, vt clariùs aquam remanere cum vino mistam indicaret.

Quartus locus est 4. Meteororum sum. 2. cap. 3. vbi ait aquam coctioni & nutritioni ineptam esse, quia crassescere nequit, ergo neque in vinum conuerti potest: tum quia maiori vi præditum est viuens, quàm vinum: quare si illud non potest aquam in se conuertere, multò minùs istud; tum etiam quia, cùm vinum sit aqua crassius, oporteret eam crassescere contra Aristotelẽ. Respondent Aduersarij non oportere aquam crassescere, vt in vinum transeat, cùm hoc non fiat media nutritione: vinum enim neque strictè, neque latissimè nutritur. Verùm si vinum (quod negare non audent) est aqua crassius, & hæc in illud vertitur, quomodo non crassescit? Numquid potest aliquid fieri crassius absque eo quòd crassescat? posset

ergo,

ergo, & abſque accretione fieri maius, abſque alteratione alterum, abſque motu mutare locum. falſum eſt etiam aquæ conuerſionem in vinum, ſi daretur, appellari non poſſe nutritionem; & quamuis hoc nomen non mereretur, poſſet tamen iure optimo ex vna fieri ad alteram argumentum, cùm in multis conueniant, ex quibus illa concluſio deducitur.

Hæc igitur de Ariſtotelis auctoritate. Quo ad alios Philoſophos, fuiſſe apud eos hanc noſtram ſententiam ſua tempeſtate communem teſtatur Innocent. III. c. *Cùm Martha.* de celebrat. Miſſarum, idemque eius expoſitores aſſerũt, vt ſect. 4. docuimus. Tempore quoq; Gaufredi Galli, id eſt anno Domini 1088. communiſſimam fuiſſe, ex eius epiſtola ad Cardin. Albanenſem, quam ſect. 5. retulimus, facilè colligi poteſt; & id ipſum fatetur P. Petronius, vt ſuprà vidimus. Flaminius quoque Nobilius nobilis auctor omnibus ferè Latinis eamdem tribuit. Eidem Alexander Aphrodiſæus, & Philoponus ſubſcribunt, ſicuti & omnes illi qui de agricultura loquuntur, cùm doceant aquã à vino cui mixta fuerat, poſſe ſeparari. Recentiores quoque ferè omnes eamdem comprobant. Iacobus Zabarella in Gymnaſio Patauino celeberrimus Philoſophus in tex. 39. lib. 1. de Gen, hoc de ea teſtimonium profert: *In miſtione aquæ cum vino penetrant quidem partes aquæ*

ad minimas vini particulas, ſed non conuertitur in vinum, licet ita vulgaribus hominibus videatur; ſeruatur enim aqua cum vino commiſta, quia vinum non habet vim mutandi aquam in vinum. Idem ſentiunt Iulius Cæſar Scaliger exerc. 101. contra Cardanum. Franciſc. Picolom. in tex. 74. lib. 1. de Gen. Bonamicus 70. de Motu cap. 24. & 3. de Alim. ca. 3. Fortun. lib. 2. de his qui diu viuunt ſine alimento cap. 41. Hieron. Dandinus ex Societ. Ieſu digreſ. 25. in libr. 2. de An. Franciſcus Aguillonius libr. 5. Opticor. propoſit. 18. & alij. Sed è Gymnaſio Ticinenſi non poſſum præclarum doctiſſimi viri Nicolai Sacci præterire teſtimonium, ex eius epiſtola ad me data, quam non ſine rubore non ad laudem, ſed ad defenſionem hîc adnectendam duxi.

Reuerendiſſimo Paulo Areſio Derthonenſi Epiſcopo ſapientiſſimo Nicolaus Saccus fauſtum, felix æternúmque precatur imperium. Dum Ariſtotelem de rerum natura ſua dialecto loquentem interpretor, nihil mihi iucundius accidere poſſe arbitror (Reuerendiſſime ac Spectatiſſime Præſul) quàm viros aliquos eximios tui ſimiles meæ ſententiæ plauſores inuenire. Multis tunc me nominibus beo; multis identidem mihi ipſi plaudo, cùm aliquos video eruditiſſimos Philoſophos ei doctrinæ, quam profiteor, fidem adſtruere, eáque firmamenta addere, quibus nulla ſæculorum periodo ſit eluenda. Ego omnibus his diebus

bus

bus dicto muneri destinatis, in eo totus fui, vt publicè pro secunda schola interpretarer quid Aristoteles in secessu haberet cùm de ortu agit & interitu rerum naturalium. Perueneram ad tex. 88. lib. 1. arripui statim occasionem examinandi quæstionem illam non facilè dissolubilem, de mutua aqua & vini conuersione. Vidi omnia quæ in scholis doctorum virorum delitescunt: vt te quoque virum extra iudiciorum aleam positum sententiæ, quam eximij mei præceptores Rouidius & Ferrarius totis viribus sequebantur, vidi subscriptorem; & gestire statim, & alacriter eam denuo profiteri incepi, vt ex eo suggestu nil liberiùs, nil libentiùs prædicarem, præter grauißimam tuam auctoritatem. solidißima quæcumque tua argumẽta innumeris penè auditoribus quàm diligentißimè explicaui: quibus ostendi nihil validius posse excogitari ad exturbandam è iudiciis multorum barbariem, qui cum plausoribus diobolariis continuè versati, veriora & sapientiora sibi persuaderi posse desperabant. Collegam equidem habebam propemodum auersantem, qui pro contraria garrire semper (rectiùs dixerim nugari) audiebatur, libello tamen tuo planè aureo ab omnibus tergiuersationũ strophis facile fuit auertere: is enim accuratè docuit id quod res est, is omnia exactißimè profligauit, & eum qui Stentor erat, reddidit Harpocratem. Vniuersa hac academia, illíque omnes qui à vero sensu iudicant, cœperunt statim mecum iureiurando affirmare, nil pulchrius, nil doctius, in toto physico studio

audiuisse, quàm quæ Reuerendissimus docuit Aresius. Ego præcipuè multa ex te didici quæ cupiebam, multa vidi quæ quærebam, pro ea confirmanda opinione, in quam etiam præceptorum meorum propendebat animus: omnesq; nunc omnium gratias in te mirè collocatas admiror. faxit qui corda scrutatur & renes, vt aliquid ab animi tui candore consequi valeam, quo dignus iudicer cur me ames: hoc enim nihil gloriosius, aut honorificentius mihi accidere posse putabo. Tu interim vale flos litteratorum, viue æternùm. Ticini die sacro D. Laurentio dicato 1612.

Sed & Patres huic veritati adstipulantur, vt D. Nemesius lib. de Anima c. 3. teste Collegio Conimb. in lib. 1. de Gener. & Iacobus à Vitriaco Cardin. qui tempore Innocent. III. floruit, in historia rerum Occidentalium. S. Bernardus tract. de Diligendo Deo eandem supponit, dum inquit, *Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit, & colorem, & quomodo ferrum ignitum candens igni simillimum fit*, &c. Vbi notandum loqui ipsum de aqua modicissima (nam stillam appellat) multo vino infusa, & hanc asserere, non quidem deficere, sed videri deficere, & accidentia vini induere, non verò in vinum transmutari; sicuti neque transmutatur ferrum in ignem, quod est ipsius alterum exemplum. Prudenter etiam non dixit, aquam induere qualitates primas vini, sed secundas,

quæ

quæ corruptiuæ non ſunt, & in quibus ſciebat antea quoque aquam eſſe vino ſimilem.

S. Auguſtinus ab eadem non ſe alienum oſtendit, dum ſerm. 41. de verbis Domini, de primo noſtri Redemptoris ſigno loquens, hæc habet verba: *Quid in ipſis nuptiis fecit? de aqua vinum; quid potentius? qui fecit de aqua vinum, potuit facere & de lapidibus panem.* Non minorem igitur potentiam requiri ad conuertendam aquam in vinum, quàm lapidem in panem, ſenſit S. Auguſtinus: ac proinde ſicut viribus naturæ hoc eſt impoſſibile, ita & illud.

Denique S. Ambroſius, S. Ioan. Damaſcenus, & alij Patres, qui dicunt aquam adeſſe in calice ante conſecrationem, vt ſect. 5. notauimus, omnes hanc ſententiam ſupponunt, cùm è contrà oppoſitæ ne minimum quidem veſtigium apud ipſos, vel alios Patres reperiri poſſit.

CAPVT XVII.

Validiſſimis rationibus eadem ſententia communitur.

PLurimæ adſunt pro hac noſtra ſententia rationes, adeò efficaces, vt optimo iure demonſtrationum nomine decorari poſſint.

Harum prima eſt. Nulla datur actio corruptiua, niſi inter habentia primas qualitates con-

trarias: ſed vinum & aqua in primis qualitatibus ſunt ſimilia: ergo non poſſunt inuicem corrumpi: ſi autem aqua à vino non corrumpitur, euidens eſt nec in ſe conuerti. Maior huius ſyllogiſmi eſt effatum in Philoſophia celeberrimum & certiſſimum. minor eſt ſenſu euidens: ex quatuor enim primis qualitatibus humiditas, & frigiditas in vino & aqua reperiuntur; calor verò & ſiccitas, vel omnino abſunt, vel non ſentiuntur: calor enim vini virtualis, cùm non ſit actuatus, eſt ac ſi non eſſet. Non habent igitur primas qualitates quibus ſe oppugnent aqua & vinum. Huic argumento conantur obniti recentiores, & aiunt, *Accidentia corruptiua aquæ eſſe in vino formaliter: huiuſmodi autem, inquiunt, accidentia, ſeu qualitates non ſunt frigiditas & humiditas vtcumque; ſed ſunt hæc eadem accidentia, ſecundùm ſpeciales conditiones & virtutes, quæ ſunt propria formæ vini, conſeruatiua illius, & corruptiua contrariorum, ſicuti calor ignis non compatitur ſecum calorem hominis; & hinc eſt, quòd vinum potatum calefacit ſtomachum, aqua verò frigefacit*. Addunt, *eſſe in vino calorē tenuem quidem, ſed ab illo non vt ſic accepto, verùm vt coniuncto cum aliis propriis vini accidentibus, aquam deſtrui. & dato, quòd calor aquæ ſit maior, non ſequitur, quòd calor remiſſus vini non ſit corruptiuus aquæ, quia, vt dictum eſt, huiuſmodi calores ſunt diuerſi*. Hæc illi aliquanto fuſiùs, quibus non

tam

tam argumenti nostri vim infringunt, quàm totam Philosophiam, quantum in ipsis est, euertunt. In primis enim hæc non nisi 4. primas qualitates actiuas & corruptiuas agnoscit; hi autem absque numero eas multiplicant: quot enim species rerum sunt, tot esse volunt & primarum qualitatum; nam aliam dicunt esse humiditatem vini, aliam aquæ; consequenter alia erit olei, alia mellis, & cuiuscumque alterius liquoris. & idem de frigiditate, & alijs primis qualitatibus asserunt. At si plures quàm quatuor sunt primæ qualitates, plura etiam quàm quatuor erunt prima corpora, scilicet elementa, ex primarum enim qualitatum numero ea venatus est Aristoteles. si dicant esse tantùm quatuor primas qualitates genere, plures autem specie; plures etiam reperientur primæ qualitates, quæ primis corporibus, scilicet elementis, non competent, nec ab eis originem trahent. vel plures etiam erunt primorum corporum species.

Humiditatem præterea agere volunt in humiditatem, & vnam alteram corrumpere. quo quid à ratione, & ab experientia magis alienum dici poterat? Primò enim falsum est plures humiditates, aut frigoris species reperiri, vt cum D. Thom. & alijs Philosophis, 2. de Gen. q. 12. & 13. ostendimus. Deinde illud tritum proloquium, quòd simile non agit in simile,

corrueret: frigidum enim ageret in frigidum, imò & in frigidum,& in calidum simul. & alia sexcenta sequerentur absurda. frustra etiam vinum æstiuo tempore aqua vel glacie circumdaremus, vt illius frigus intenderemus: nam cùm sint frigora diuersa, vnum non posset ab alio intendi; imò secundùm Aduersariorum principia vnum ab altero destrueretur, & vinum in aqua frigida calefieret.

Ad hæc volunt calorem remissum vincere, & frigus & calorem magis intensum, atque ad hanc victoriam ab humiditate, & alijs similibus qualitatibus adiuuari, & vinum calore simul & frigore agere in aquam: hæc igitur simul calefiet & frigefiet, contrariis motibus mouebitur, humiditas quæ caloris vim hebetare solet, eius actionem adiuuabit, & ab infirmo fortius superabitur.

Denique plura sunt in hac responsione absurda, quàm verba, quæ nimis longum esset sigillatim refellere. Nec eos exemplum de calore ignis, quem dicunt simul cum naturali calore degere non posse, iuuat: hoc enim falsum est, si de calore moderato agatur, nam hoc calore ignis non parum calor naturalis adiuuatur & fouetur; sed si calor ignis nimius sit, tunc destruit subiectum caloris naturalis: quo destructo, & ipse interit. stomachum quoque à vino calefieri, vt ipsi testantur, nostram positionem con-

confirmat:si enim essent diuersi specie calores, vnus non intenderetur ab altero, sed potiùs, vt ipse inquit, destrueretur. & quamuis diuersos effectus calores diuersi videantur habere, non prouenit hoc ex diuersa ipsorum natura, sed ex virtute viuentium cui coniungitur calor naturalis, vt quæst. 12. 2. de Gen. sect. 3. explicauimus.

Secunda principalis ratio est. Per aquæ conuersionem nihil sibi acquirit vinum, non ergo est concedenda. Antecedens probatur, quia licet videatur fieri maius, eadem tamen proportione fit debilius. omnibus ergo pensatis, nihil acquirit: sicuti nihil acquireret ille vir qui plura quidem terræ iugera adipisceretur, sed amitteret pinguiora, ita vt non plus frumenti ex illis pluribus colligeret, quàm ex paucioribus colligebat: ita autem se habet in vino, quia quo maius fit per aquæ admistionem, eadem proportione fit debilius. quare homines nil se lucrari aquam vino admiscendo existimant, imò potiùs iacturam facere, vt meritò Isaias populo Hebræo exprobraret, *Vinum tuum mistum est aqua*. Consequentia probatur Primò, quoniam natura nihil frustra facit: frustra autem & superuacaneè fieret hæc conuersio, si per eam nihil sibi vinum acquireret.

Secundò, non dicitur vincere qui licet ex vna parte lucretur, ex altera tamen tantumdem amit-

amittit:atqui dicitur à vino aquam *vinci*, ergo aliquid sibi lucrari debet vinum. Confirmatur Primò, quia non est credibile, si verum est quod sibi persuadent Aduersarij, vinum scilicet esse aqua longè potentius, eamque corrumpere & in se conuertere, nihil inde sibi acquirere, imò non minùs repati, quàm agere, nec minùs eius hebetari vires, ac si cum aduersario æquo marte pugnasset. Confirmatur Secundò, aceti exemplo. hoc enim, si vinum ei paulatim admisceatur, quoniam facilè illud vini modicum ab eo vincitur, non tantumdem repatitur ac reagit, & si quid repatitur paulò pòst pristinum robur recuperat: atque hac ratione aceti dolium, etiamsi frequenter ab eo acetum haurias, numquam tamen exhaurias: cumque longè maior fuerit vini quantitas, quæ aceto superinfusa est, quàm ipsius aceti; quia tamen non tota simul, sed ita paulatim addita est, vt semper facilè ab aceto vinceretur, numquam propterea deficit, aut in vinum versum est acetum, sed in suo robore semper permansit. si ergo, & aquæ particula multo vino admista in ipsum vinum verteretur, plurimum aquæ guttatim posset vino absque eiusdem sensibili mutatione infundi. quod à veritate longissimè abesse experientiâ constat.

Denique eodem prorsus modo liquor ex aqua & vino mistus se habebit, siue vinum vincat,

cat, ſiue aqua ſuperet, ſiue aqua vertatur in vinum, ſiue vinum tranſmutetur in aquam. quod eſt abſurdiſſimum. Probatur illatio, quoniam quod de vino dicitur aquam vincente omnibus penſatis nihil ſibi acquirere, idem de aqua vinum ſuperante affirmandum erit: contrariorum enim eadem eſt ratio, & quod vino potentiori negatur, aquæ debiliori non erit concedendum: ſi ergo aqua vinum vincens nil lucratur, nihilque aqua victrix & ipſa acquiret; ſemper ergo eodem modo ſe habebunt, & ſiue vinum, ſiue aqua ſuperet, eorum accidentia æquè à ſenſibus percipientur. & ſicuti vinum aquam vincens ita eius accidentibus affectum remanet, vt aqua miſtum fuiſſe cognoſcatur: ita aqua vinum ſuperans, ita eius accidentibus prædita erit, vt qui illam bibit vinum fuiſſe ei admiſtum perfacilè agnoſcat.

Ad hoc argumentũ diluendum multa congerunt Aduerſarij, quæ tamen parum ſunt ad rem, nec eius vim aliquo modo infringunt aut infirmant, ſed omnia ſigillatim refellere tædio non careret. Illud tantùm, quod cæterorum omnium dictorum eſt fundamentum, notandum mihi videtur, nimirum diſtinguere hos auctores conuerſionẽ à generatione, & nutritione. Dicunt enim non eſſe eamdem rationẽ de igne & de vino, quia ille non augetur per miſtionem aut conuerſionem, ſed per generatione-

Cap. 18 pa. 146

nem,

nem. & infrà. non esse eamdem rationem de nutritione, & aquæ in vinum conuersione. Tertiam igitur quamdam substantialem productionem adinuenerunt hi auctores, quæ nec generatio nec nutritio dici potest, & Philosophos omnes hucusque latuit. sed nos malumus cum Aristotele, D. Thom. Scoto, & cęteris tum antiquis, tum recentioribus Philosophis ignorantiam profiteri, quàm horum nouam scientiam adipisci. Hæc enim eorum tertia transmutatio, nónne ad substantiam terminatur? vtique, quia gignitur per eam substantia vini; cur ergo appellari non poterit generatio? an quia fuit illi priùs commista? sed hoc nihil refert, quia illa mistio reuera nil aliud fuit, quàm partium minimarum iuxta-positio, quæ etiam in lignis & igne contingere potest, & sæpè contingit; non dicuntur hæc tamen misceri, vt inquit Aristotel. quia ligna vertuntur in ignem: quare si & aqua vertitur in vinum, ei admisceri non est dicenda? Præterea augmentum duplici tantùm ratione contingere potest, videlicet vel per iuxta-positionem, vel per alimenti in omnem partem distributionem: si priori modo crescit vinum, ergo per generationem, sicuti ignis; si posteriori, ergo per nutritionem, sicuti viuentia. Instantia enim, quòd hoc virtute viuentis non contingat, nihil obtinet, quia efficiens non est de essentia actionis, nec differunt

ferunt mutationes, quia ab hoc vel ab illo agente emanant; ſed quia in diuerſos terminos, vel diuerſimodè in eumdem tendunt: ſi ergo aqua verè in vinum vertitur, nutritionis ratio non erit ei denegahda.

Dicamus ergo, quod verè dicendum eſt, huiuſmodi conuerſionem aquæ in vinum, ſi in rerum natura daretur, aliud non fore quàm generationem: terminaretur enim ad ſubſtantiam per ſe completam, & eodem nomine cum generante gaudentem, & non ad partem tantùm: in nutritione enim, v. g. hominis, non producitur homo, ſed caro aut ſanguis, & idcirco non appellatur generatio; vinum autem per hanc conuerſionem generat aliud vinum, ergo per generationem; & conſequenter cùm generans ſibi ſimile generet, vinum ex aqua genitum erit eiuſdem rationis cum generante. Quapropter ſi aqua vino falerno infundatur, in vinum falernum conuertenda erit: cumque vinum falernum, etſi infimæ notæ, vino Surrentino ſit præſtantius & potentius, efficietur, vt miſtum ex aqua & vino falerno potentius ſit, & ſuauius, & præſtantius, quàm miſtum ex eodem falerno & Surrentino, vel alio genere vini. quod eſt abſurdum.

Item, quoniam id quod gignitur imitatur generans, non in eo ſtatu in quo reperitur dum generationi operam dedit, ſed in eo quo dum

&

& ipſum genitum eſt potiebatur, (ſenex enim non gignit ſenem, ſed infantem;) efficietur vt vinum de nouo ex aqua genitum, non vini veteris naturam imitari debeat, ſed noui & recenter ex vuis expreſſi; muſto igitur non tantùm menſe Septembri vel Octobri, ſed quolibet anni menſe, imò & die, frui poterimus.

Nec inſtantia de nutritione erit hic ad rem, quoniam hæc conuerſio, non eſt nutritio: quia in nutritione, vt diximus, viuens non generat aliud viuens, nec homo hominem, ſed alimenmentum vertit in aliquam ſui partem, exempli gratia, in ſanguinem, vel carnem, quæ totius compoſiti nomine non gaudet: conſequenter non oportet, vt quod gignitur ex alimento ſit ſimile in natura viuenti, & ei in perfectione æquale; at verò vinum generat verè per Aduerſarios aliud vinum, ergo debet generare ſibi ſimile, vt diximus.

Præterea, quod aiunt calorem naturalem in nutritione hebetari, & vires amittere, longè à vero abeſt: potiùs enim roboratur, & niſi alimentum adeſſet breui deficeret. Sed cur, dices, in ſenibus languet? Reſpondeo ratione inſtrumentorum hoc illi contingere: ſicuti enim afferebat Ariſtoteles, quòd, ſi ſenex oculum iuuenis haberet, videret vt iuuenis: ita dicere poſſumus nos, quòd, ſi ſenex præcordia, & reliqua corporea organa vt iuuenis haberet, calore

lore quoque iuuenili potiretur. quod in homine clarè patet, quia cùm eius anima sit immortalis, & calor ab ea dimanet, si aliunde non impediretur, parem calorem semper effunderet: cur verò hæc instrumenta labefactentur, non est ex actione contrarij, sed ob eam rationem, quam 1. de Generatione quæst. 35. sect. 5. tetigimus, & alibi (si Deus annuerit) copiosiùs erit explicandum, hîc enim non est ampliùs euagandum.

Tertia principalis ratio. Remanent accidentia aquæ vino mistæ, ergo etiam eiusdem substantia. Antecedens quoad primas qualitates euidens est, quia neque calefit, neque exsiccatur aqua dum vino miscetur, remanent ergo eius frigus & humiditas: quoad secundas, scilicet colorem & saporem, non est tam clarum; facilè tamen probatur, quia huiusmodi qualitates non sunt actiuæ, non igitur se destruunt color vini & aquæ, sed commiscentur & contemperantur. Experientia quoque suffragatur, tum quia potest aqua denuo cum suis accidentibus separari, tum etiam quoniam iuxta proportionem aquæ admistæ videmus vinum ipsius qualitates participare. Confirmatur, quia si aquæ qualitates corrumperentur, multo minùs postquam diu fuit aqua mista vino sentirentur, quàm immediatè pòst: sicuti aqua igni apposita non statim calida percipitur, neque

continuò frigiditatem amittit, ſed transacto non modico tempore: atqui huiuſmodi diſcrimen in aqua vino miſta non cernitur; eius enim accidentia ita ſentiuntur, poſtquam diu fuit admiſta vino, atque in principio: ergo neque corrumpuntur, neque vlla actio corruptiua inter accidentia aquæ & vini intercedit. Firmum igitur, & inconcuſſum eſt antecedens; conſequentia verò eſt euidens, quoniam niſi corrumpantur accidentia, numquam ſubſtantia perit. Confugiunt hîc Aduerſarij ad celebrem illam reſolutionem vſque ad materiam primam, quæ in ipſorum tantùm ſcholis viget, & inquiunt non eſſe illa accidentia aquæ, cuius ſubſtantia eſt corrupta, ſed vini. Atqui argumentor ego, Prius eſt accidentia corrumpi, quàm aquæ ſubſtantiam, & huius corruptio nonniſi per accidentium corruptionem innoteſcere nobis poteſt: niſi ergo aliunde oſtendant eius accidentia eſſe corrupta, non poſſunt hoc ex aquæ corruptione arguere, ſed potiùs huius conſeruationem ex illorum conſeruatione colligi æquum erit. Præterea fatentur ipſi permanere non quidem aquæ qualitates, ſed alias illis perſimiles naturam corruptarum imitantes. Verùm vndenam, quæſo, colligitur eſſe has nouas qualitates, & non priores? dicũt, Quia aquæ ſubſtantia eſt corrupta: atqui hoc eſt petere principium, & ignotum per ignotius

tius demonstrare, cùm aquæ corruptionẽ non nisi ex accidẽtibus corruptis inuestigare liceat.

Quarta ratio. Ab extremo ad extremum non fit transitus nisi per medium: sed aqua & vinum sunt veluti duo extrema; nam aqua est elementum simplex & imperfectum, vinum verò est mistum perfectissimum: ergo non immediatè vertetur in vinum, sed prius in aliquẽ liquorẽ medium. Sed hoc est absurdum, quoniam nemo hunc liquorem medium à vino productum vnquã somniauit: ergo aqua non conuertitur in vinum. Respondent Aduersarij non fieri transitum ab extremo ad extremum sine medio, quia fit media præuia alteratione. Verùm non loquimur nos de medio accidentali, sed de substantiali: sicuti cùm vinum in sanguinem vertitur prius fit chylus, & liquor alterius generis, & tandem post multas transmutationes in sanguinem vertitur: humor etiam quem è terra vitis exsugit, non immediatè substantialiter vertitur in vinum, sed post multas transmutationes: ergo idem dicendum erit de aqua vino mista. Confirmatur, quoniam longè facilius est introducere in aquam dispositiones eius formæ substantiali repugnantes, quàm perfectè materiam ad vini formam recipiendam disponentes. Tum quia plus requiritur ad productionem misti, quàm ad destructionem elementi; tum etiam, quia aqua faciliùs

in alias res verti poteſt, quàm in vinum. Ponamus ergo in aquæ materiam introductas eſſe diſpoſitiones formæ aquæ incompatibiles, ſed nondum formæ vini conſentaneas; tunc oportebit aquam corrumpi, quia ſupponimus non poſſe cum illis accidentibus permanere, neque in eam materiam vini forma introducetur, quia nondum eſt ad eam perfectè diſpoſita, neque ſine vlla forma ſubſtantiali permanere poterit: ergo tunc generabitur aliquod mediū ſubſtantiale inter aquam & vinum. Dicent fortaſſis illum caſum eſſe impoſſibilem: ſed immeritò; non enim accidentia, quæ ſufficiunt ad expellendam aquæ formam, ſufficiunt etiam ad vini formam introducēdam, alioquin numquam aqua in aliud verteretur, quàm in vinum. Poterunt igitur aliqua accidentia illam expellere, & hanc non introducere, vt ſuprà nos dicebamus. Præterea ſunt alij liquores, qui minores diſpoſitiones requirūt, quàm vinum; hi igitur faciliùs ex aqua corrupta producentur quàm vinum: ſicut ergo ignis faciliùs aquam ſibi appoſitam in aërem vertit quàm in ſeipſum, quia cum aqua habet aër maiorem ſimilitudinem quàm ignis; ita etiam vinum priùs aquam in aliquem liquorem illi magis ſimilem permutabit, quàm in ſe.

Quintò In omnibus conuerſionibus aliquid non conuerſum remanet: nam etſi ignis maxima

ma vi ſit prædĭtus, & ſtipula ad eius formam recipiendam ſit maximè diſpoſita, adhuc non tota in ignem vertitur; nam & remanet cinis, & aliquid etiam in fumum reſoluitur. & idem dicendum de qualibet alia conuerſione. ergo neque tota aqua vertetur in vinum. Sed quodnam erit hoc reſiduum non conuerſum in vinum, & vbinam reperietur? illius certè nullum veſtigium apparet, ergo aqua in vinum non vertitur. Et hoc eodem argumento vtitur Ariſtoteles cap. 5. de ſenſu & ſenſili ſuprà citato, ad probandum elementum ſimplex non nutrire; recentiores tamen nullam ei adhibent reſponſionem, nec eius meminerunt, ſicuti nec ſequentium, licèt à nobis eodem loco cum cæteris ab ipſis relatis adducta ſint.

Sextò. Vel animæ vegetantis virtute aquam in ſe conuertit vinum, vel alia virtute: ſi prius, ergo vinum verè nutritur, ac proinde maiores ſibi vires per huiuſmodi nutritionem acquiret; ſi poſterius, ergo illa virtus erit inſufficiens: cùm enim vinum ſecundùm naturalem ſuam generationem ſit opus animæ vegetantis, non poterit hac virtute ordinis inferioris produci.

Septimò. Conuerſio aquæ in vinum tunc ſolùm contingit, quando à virtute vini aquæ vires non modicè ſuperantur; quando igitur non ſuperantur, cùm nihilominùs hoſtiliter inuicem agant, miſcebuntur, & fiet ex illis

quoddam tertium, quod nec vinum erit, nec aqua. at quidnam hoc erit? omnes siquidem, etsi vinum maximè dilutum bibant, nihil tamen aliud bibere se putant, quàm vinum & aquam. Dicent fortè neutrum corrumpi. Sed hoc facilè reijcitur, quoniam si qualitates contrarias possident, vt Aduersarij volunt, non possunt non inuicem agere,& mutuò corrumpi: alioquin mistio de medio tolletur, quæ, vt Aristoteles docet, non alio pacto contingit, quàm ex contrarijs æquis viribus, vel non admodum imparibus,inter se pugnantibus.

Octauò. Vel daretur vinum non mistum,vel mistum absque vlla mistione præcedente:nam hoc vinum quod ex aqua gignitur,reuera non esset mistum, quia ex vnico tantùm elemento constaret. vel si contendas esse mistum, tale erit sine mistione præcedente,quia ex aqua simplici genitum fuit.

Nonò. Vinum non est opus solius naturæ, sed etiam artis: ergo non potest nec aliud vinum producere,nec ab alio vino produci. Antecedens patet, quoniam nisi homines vinum ab vuis exprimerent, illo proculdubio carerent. Consequentia est euidens,quoniam,quatenus artificiale non est productiuum, & quatenus naturale non potest effectum nisi quoad naturalia sibi similia producere:sicut ergo granum sine cortice non gignit granum simplex

&

& nudum, ſed ſimul cum cortice, quia nuditas non eſt illi naturalis; ita vinum, ſi vim producendi poſſideret, vuam ſiue vitem gigneret, & non aliud vinum.

Denique plurimas experientias ad noſtram ſententiam confirmandam in noſtra Philoſophica quęſtione afferimus, quas poterit ibidem lector videre: nec enim noua confirmatione, aut defenſione indigent.

CAPVT XVIII.

Fundamenta contrariæ ſententiæ euertuntur.

PRæcipuum Aduerſariorum fundamentum eſt quædam Ariſtot. auctoritas falsò à pluribus allegata, & malè ab alijs intellecta. Verba Ariſtot. 1. de Gen. c. 10. ſunt: *Eorum verò actiuorum & paſſiuorum, quæ facilè diuiſibilia ſunt, multa quidem paucis, & magna paruis compoſita miſtionem non faciunt, ſed augmentationem dominantis; nam alterum in id quod euincit, verti ſolet, vt gutta vini decies millenis aquæ menſuris non miſcetur: etenim forma vini perit, atque vinum in totam aquam vertitur.* Hinc nonnulli Ariſtotelis verba memoriâ perfectè non retinentes, ipſum allegant, veluti dicentem aquæ guttam vino infuſam in ipſum conuerti. quod ipſe numquam ſomniauit. Alij autem conſecutiuè ex Cap. 18 pa. 136

ex hoc loco sententiam suam colligunt. Dicunt enim, hinc Primò haberi, aquam & vinum esse mutuò actiua & passiua, & ita vnum ab altera vinci posse; Secundò colligi, etiam aquæ guttam in vinum conuerti, quia eadem prorsus est ratio, imò maior de gutta aquæ respectu vini in magna quantitate, & generosi, precipuè cùm vinum habeat magis de actiuitate, quàm aqua. Sed hæc facilè refelluntur.

Quoad primum enim, numquam dixit Aristoteles vinum & aquam esse mutuò actiua & passiua; sed cùm dixisset, quod euenire solet inter mutuò actiua & passiua, & tunc non fieri mistionem cùm vnum miscibilium in alterum vertitur, ad hoc secundum explicandũ attulit exemplum vini guttæ, quæ millenis aquæ mensuris non miscetur, sed in ipsam vertitur. hoc ergo sufficit Aristotelicæ doctrinæ declarandæ, quòd vini gutta in aquam vertatur: an autem etiam aqua in vinum, nihil eius refert. Nota præterea lector, Aristotelem tamquam incompossibilia hæc duo ponere, nimirum misceri & conuerti: quod enim, inquit, conuertitur non miscetur vt gutta vini, &c. Si ergo hinc colligũt Aduersarij aquam in vinum verti, colligere etiam debent ei non admisceri, quia non admisceri & conuerti habet hîc pro eodem Aristoteles: at si aqua vino non admiscetur, cùm in ipsum debeat verti, & PP. omnes fatean-

teantur aquam in calice admiſceri vino, ergo in ipſum non vertitur. quod enim inquiunt priùs miſceri,& deinde verti, Ariſtoteli apertè repugnat, qui negat omnino multa paucis, & magna paruis miſceri, cùm tamen non ſubitò vnum conuertatur in aliud. ad hoc igitur, vt miſtio negetur, ſufficit in ea proportione aliqua miſceri, ad quam vnius in alterum conuerſio conſequitur.

Quod etiam ſecundo loco dicebant, eamdem eſſe rationem de vino plurimæ aquæ miſto,& de aqua multo vino appoſita,& vinum maiori pollere virtute ad aquam in ſe conuertendam, falſiſſimum eſt: vinum enim cùm ſit miſtum in quo prædominatur aqua, facilè in aquam reſoluitur; at aqua non eſt ex vino compoſita, vt proinde verti poſſit in vinum. Deinde ex perfecto non mirum gigni imperfectius: at ex imperfecto gigni perfectius eſt multò difficilius; vinum autem eſt aqua longè perfectius. In elementis qualitates primæ ſunt in ſummo gradu, in miſtis refractæ; & in gradu remiſſo: ergo ad agendum validius erit elementum aquæ, quàm vinum. Quartò, quo aliquid eſt nobilius, eo faciliùs labefactatur; quæ autem ignobiliora ſunt pertinaciùs reſiſtunt, minoribus enim diſpoſitionibus indigent ad ſui conſeruationem: v. c. in homine ſenſus tactus ignobiliſſimus eſt, & difficillimè amittitur, vi-

 ſus

sus est nobilissimus, sed & minimi roboris ad resistendum: cùm igitur vinum sit aqua multò nobilius, longè etiã faciliùs aqua ipsa destruetur. Deinde tantum abest, vt ex eo quòd vinum in aquam vertitur, colligi debeat & aquam in vinum transmutari, vt totum oppositum sit inde potiùs colligendum, vt inductione in cæteris ferè omnibus conuersionibus constat: ignis enim, qui omnia depascitur, in cinerem vertitur, nihilque est quod magis resistat, & à conuersione in ipsum sit magis remotum, quàm ipse idem cinis: vinum in acetum vertitur, at acetum in quodlibet aliud potiùs quàm in vinũ: bos mactatus apes procreat, ex apibus fieri bouem est omnino inauditum: ex hominum cadaueribus serpentes aliquãdo oriuntur, ex serpentibus homines numquam: fructus & alia ciborũ genera quibus homo vescitur, in ipsius substantiam vertuntur, at eius substantia in illa numquam transmutatur: solùm inter elementa simplicia dari videtur huiusmodi regressus aut circulus. Quod inde oritur, quia, cùm ex simplici elemento non possit constitui mistum dum elementum corrumpitur, & non per admistionem cum alio simplici corpore, oportet vt in aliud elementum conuertatur: quare in vinum, & quia mistum, & quia resoluitur aliquando in aquam, non potest ipsa aqua immediatè transmutari.

Præ-

Præterea argumentantur, Diuiditur aqua dum vino miſcetur,in partes quæ ſunt minores minimo naturali, ergo corrũpitur, & in vinum vertitur: nam nec aqua conſeruari poteſt ſub minori quantitate,quàm ſit minimum,nec fingi poteſt in quid aliud vertatur quàm in vinũ. Reſp.in multis deficere hoc argumentum.Primò enim falſum eſt dari in elementis minimũ ſub quo minori naturaliter exiſtere nequeant, vt 1.de Gen.q.35.ſect.4.probauimus.ſi enim, vt cætera omittam, aurum in minutiſſimum puluerem redactum formam ſuam non amittit,quomodo credibile eſt aquam aut aliud elementum determinatam ſibi poſcere quantitatem,ſub qua minori exiſtere nequeat? Secundò,eſto elementa habeant minimum,vnde colligunt diuidi aquam in minores partes, quàm ſit minimum ipſius? ſuam vtique conſeruationem omnia appetunt: non eſt igitur credibile aquam ita ex ſe diuidi, vt inde eius corruptio conſequatur. Præterea dum in pari quantitate vinum & aqua admiſcentur,diuidentur ambo in partes minimo minores, amboque corrumpentur, ſed quidnam inde gignatur ne ſomniare quidem poterunt. Ad hæc ſi album vinum rubeo admiſceatur,non minùs eius partes permeat quàm aqua, ergo & ipſum corrumpitur. quod eſſe falſum experimento conſtat. Denique cùm vinum & aqua in qualitatibus primis, ſcili-

ſcilicet frigore & humiditate, conueniant, ex ipſis miſtis fit vnum, cuius partes magis conſeruantur, quàm ſi ſeparatæ exiſterent, mutuò enim ſe tuentur, & à contrarijs ſe defendunt. Non magis ergo per huiuſmodi miſtionem aqua in vinum vertitur, quàm æs aut argentum vertatur in aurum, dum ambo liquefacta ſimul admiſcentur, vt in noſtra quæſt. 12. ſect. 1. de Gen. notauimus.

Atque hæc habui denique quæ ſuper digniſſima quæſtione diſſererem. Finem facio, Lector candide, ſi amicum iudicium doctiſſimi viri Ioannis Ghijſmaers Hedichuſij, Belgæ, è Societ. IESV S. Theologiæ Doctoris, nec non eiuſdem in alma Cæſarea Regiaque Pragenſi Academia Ordinarij Profeſſoris, tui etiam iuris fecero; cuius quidem accuratione typis Belgicis hunc meum laborem habes. Accipe adeò loquentes literas:

Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine.


AD ignotum Te, ſed à vultu tantùm, non ab animo ac ſapientia venire audeo, ac ſacram exoſculari fimbriam, cuius ſublimem mentem veneratus ſum in aureo illo, *De Aqua in ſacrificio Miſſæ immediata in ſanguinē tranſmutatione*, libello. Legendum eum mihi nuper obtulerat

tulerat Perillustris ac Admodum R. Dominus Iosephus de Curtis, Illustrissimi Cardinalis ab Harrach Archiepiscopi Pragensis Aulæ Præfectus, Tuus consanguineus, illo etiam beneficio Patronus meus. Placuit is vehementer vel ipsa statim fronte, hoc est, argumento suo: quo in spem veni fore, vt, quam à R. P. Ægidio de Coninck sapientissimo magistro meó in Scholis olim didiceram sententiam, ac sæpiùs deinde ipse in celeberrimis Louaniensi ac Pragensi Academijs propositis thesibus docuissem; ea ab Illustrissima D. V. ita illustrata, nouam etiam meo ac aliorum animis lucem afferat. Neque spem fefellit ipsa argumenti luculentissima pertractatio: si enim inspicerem quæ è Christi Seruatoris, aquam in suprema cœna miscentis, facto; è Pontificum Conciliorumque decretis; è Sanctorum Patrum placitis; ex Angelicis D. Thomæ commentationibus; è primi nominis Scholasticorum doctrina; ipsa denique aquæ & vini natura, in Disputatione olim typis edita, atque in recèns illi pariter aureo attexto Syrmate (vindice inquam contra nonnullorum prioris dissertationis impugnationes Appendice) eruditissimè disseruisti, omnia, mihi iuxtà ac iis, quos tuam hanc lucem celare non potui, oculos impleruntac mentē. Vnum illud sæpiùs indolui, atque non tam libello Tuo quàm ipsi naturæ rerum molitrici

trici propè ſuccenſui, quòd iis Italiam Tuam à noſtro Septemtrione Alpium difficillimis clauſtris diſiunxerit, quæ ab annis iam plus quinq; à D. V. Illuſtriſſima editam Diſſertationem à nobis excluſerint. Neque parum dolorem hunc atque indignationem meam illæ auxerunt paginæ, quibus legebam feciſſe Te etiam publici iuris in Peripateticam de Ortu & interitu doctrinam alteram commentationem, inque ea multis illam probaſſe ſententiam quæ naturæ viribus negat aquam in vinum poſſe conuerti, quam ipſe quoque ante annos duodecim meos in Philoſophia docueram Auditores. Tum verò cogitare cœpi, num qua ratione meo ac communi multorum dolori mederi poſſem: & occurrit, ſi, quam ad alteram editionem deſtinari ſciebam Tuam illam Theologicam cum noua Appendice diſputationem, iis committeretur typis, à quibus ad commune totius Europæ ius vſumque facilè perueniret. Suggeſſi conſilium Perilluſtri ac Admodum R. Domino conſanguineo Tuo, atque cogitatione meâ ab illo Illuſtriſſimæ Domin. Tuæ communicatâ, ab eaque approbatâ, citiſſimè rem conficiendam Antuerpiæ ſuſcepit D. Martinus Nutius, ibidem ciuis, bibliopola ac typographus, vnis iſtic magni Plantini heredibus induſtriâ ac famâ vix ſecundus. Ego verò Tuo nomine vt meum ad Illuſtriſſimam D. T. de hoc opere qua-

qualecumque consignarem iudicium, *aureum* illud iure meritoque, quod suprà faciebam, rursus inscribo. ac vt plurima huiusmodi alia à sapientissima Tua mente ac manu videre nobis liceat, publicum hîc meum atque aliorum multorum, apud benignissimum IESVM prolongæua Illustrissimæ Vestræ Domin. vita votum pono, idem, qui sacram illius

venerabundus



exosculor dexteram

humillimus seruus Ioannes
Ghijsmaers Hedichusius,
è Societate IESV.

Dat. Pragæ Bohemorum
30. Nouembris, an. 1627.